VINDICIÆ MIRACULORUM,

Per quæ divinæ Religionis & fidei Christianæ veritas olim confirmata fuit,

Adversus profanum auctorem *Tractatus Theologico-politici.*

Auctore
JACOBO BATALERIO.





AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM JANSZONIUM à WAESBERGE. 1673.

PROŒMIUM ad dilectum quendam in Christo fratrem.

PEtiisti aliquoties, Amice integerrime, ut serio examinarem tractatum istum Theologico-politicum auctoris anonymi, qui quamvis se simulet Veteris & Novi Testamenti scripta pro divinis libris agnoscere, nihil tamen agit aliud, quam ut fidem utrisque ex omni fere parte adimat, tum ut ad eum etiam refutandum aliquid conscriberem; quod me non inutiliter facere posse existimabas. Si breviter & perspicue satis possem, non liceret, fateor, salva conscientia, laborem eum defugere, ad muniendos imprimis bonorum adolescentium animos, quos non injuria metuis, si in eum librum incidant, perversis opinionibus imbuendos, quæ pietatis studium non parum imminuere valeant: periculum evidens, si accesserint insuper

& mali magiſtri, Satanæ emiſſarij, quales ad manum is ſemper habet, qui eum librum incautis ſubinde etiam commendent, quaſi veritatis non contemnendum monſtratorem. Sed nec rerum, quas tractat, copia per compendium recte abſolvi, nec tricæ, quibus totus fere undique ſcatet, perſpicuam ubique reſponſionem facile admittere poſſe videntur. Unde periculum eſt; tum, ſi nimis breviter agas, ne dicaris multa ſubterfugere, & in ipſius Lectoris humeros laborem refutandi adverſarij, quem exantlare ipſe deſperes, velle deponere; tum, ſi quid, quod întricatum eſt, vel ob auctoris ambiguam dictionem, vel ob ejus non animadverſas aliquando hypotheſes, non tam perſpicue, quam captus aliorum exigit, expediveris, ne ſcrupulum ijs potius injicias, quam eximas: quis autem confidat, ſe perſpicue ſatis poſſe refellere eum, qui non perſpicue ſua proponit?

§ 2. Hinc conſultius arbitratus ſum in gratiam eorum, quibus non vacat mag-

nos

nos evolvere libros, ut breve aliquod specimen adornarem; ex quo apparere posset, istum auctorem nihil minus, quam solide & perspicue argumentari, etiam tunc cum de sôliditate & perspicuitate vel maxime gloriatur, sed tenebras tantum & caliginem imprudentibus offundere. Quod apparebit ex præcipuis quibusdam hominis argumentis, quibus multum confidit; quæ dum per malignam tantum, quam ijs adspergit, lucem cernuntur, non discernuntur satis, & mira videntur prima fronte etiam illa, quæ revera sunt perquam insulsa. Hinc id spero eventurum, ut liber ejus plurimis locis exiguam mereatur fidem, & ubique ea suspecta reddatur ijs omnibus, qui nostra hæc cognoscere volent: quanquam negandum non est, auctorem ingenio satis pollere; verum hoc est; sed & perpetua memoria hoc quoque tenendum, licet nonnulla hinc inde proponat, quæ à doctis etiam mereantur bene perpendi, callide tamen eum perniciosa sua pharmaca miscere, dum aut

in ſpeciem ſalutaria ijs adjungat, aut ſaporis gratiam ad fallendos incautos conciliat. Cujus generis exemplum ſtatim à præfatione in primo capite, primaque omnium pagina extat, ubi dicit, *ea quæ lumine naturali cognoſcimus à ſola Dei cognitione ejuſque æternis decretis dependere.* Videbitur multis id dictum fortaſſe ex ſimplice animi propoſito, ad pietatem commendandam: ſed attendendum, an non potius mens impij auctoris hæc ſic; quemvis, qui modo aliquid naturali lumine certo ac ſolide cognoſcit, eo ipſo Deum cognoſcere, ac proinde pro atheo non poſſe haberi? quo enim plura in rerum natura cognoſcimus, (ut non ſemel varijs locis impudenter diſerteque pronunciat,) eo magis nos Deum ſtatuit cognoſcere: ſcilicet ut ne atheus ipſe agnoſci poſſit, quia Dei vocabulum ſæpe uſurpat.

3. Sed talibus ænigmatis omiſſis, ſumpſi ego mihi exanimandum, eo quem dixi fine, unum modo caput ipſius, libri ſextum, quod merito omnium præcipuum

puum judicari debet, quo confutato necesse est & omnem Atheismum corruere; cum in eo sub prætextu miraculorum examinandorum (scilicet ad refutandum *vulgus, quod ex nulla re clarius*, inquit (pag.67. *b.*) *existentiam Dei probari posse existimat, quam ex eo quod, natura, ut putant, suum ordinem non servet*) aggrediatur summis viribus tantum non totam Evangelicæ Historiæ veritatem expugnare. Suscipit enim ibi demonstrandum, nihil unquam ullo tempore evenisse aut evenire potuisse contra, vel supra, vel extra naturæ ordinem; quo sensu vulgo dicimus, multa miracula facta esse ad Christianæ religionis confirmationem; quæ & Apostoli & Evangelistæ omnes, alijque infiniti, nobis commendarunt pro evidentibus, ac solidis, & solis, fere dicam, ejus documentis.

§ 4. Id aggressus superiore anno per Dei gratiam Septembri mense perfeceram, & jam per miseram typographo tradendum, nisi me recte quidam monuisset, quod aliquanto serius factum est, quam

vellem, ut ob rudiores, qui rationum mearum vim fortaſſe alicubi non plene ſatis percepturi eſſent, quædam paulo plenius explicarem. Id ergo ſic feci ut & non pauca ex alijs ejuſdem Tractatus capitibus acceſſerint, & ut dicti capitis ſexti examen minus obſcurum ſit, illius Philoſophi totum textum eidem illi ſexto capiti præmiſi, tum ut Lector protinus ob oculos habere, & cum reſponſionibus meis, ſi libet, conferre poſſit quicquid refellendum ſumo, ſingulas ejus paginas notatis ad marginem literis in ſex partes ſic diſtribui ut per *a.b.c.* tres ſuperiores, ac per *d. e. f.* ejuſdem tres inferiores indicentur. Ad rem ipſam veniamus

STROPHÆ, Quibus utitur Philoſophus ad divina miracula eludenda.

Pag. 67

§. 5. TRactatus Theologico-politici Caput ſextum de Miraculis ita habet: a

SIcuti ſcientiam illam, quæ captum humanum ſuperat, divinam, ſic opus, cujus cauſa vulgo ignoratur, divinum, ſive Dei opus vocare conſueverunt homines: vulgus enim tum Dei potentiam & providentiã quam b clariſſime conſtare putat, cum aliquid in natura inſolitum, & contra opinionem, quam ex conſuetudine de naturâ habet, contingere videt; præſertim ſi id, in ejus lucrum aut commodum ceſſerit, & ex nulla re clarius exiſtentiam Dei probari poſſe exiſtimat, quam ex eo, quod natura ut putant; ſuum ordinem non ſervet; & propterea illos omnes Deum, aut c ſaltem Dei providentiam tollere putant, qui res, & miracula per cauſas naturales explicant, aut intelligere ſtudent: Exiſtimant ſcilicet, Deum tamdiu nihil agere, quamdiu natura ſolito ordine agit; & contra, potentiam naturæ & cauſas naturales tamdiu eſſe otioſas, quamdiu Deus agit; duas itaque potentias numero ab invicem diſtinctas imaginantur, ſcilicet, potentiam Dei, & potentiam rerum naturalium, d a Deo tamen certo modo determinatam, vel

 (ut

(ut plerique magis hodierno tempore ſentiunt) creatam. Quid autem per utramque, & quid per Deum & naturam intelligant, neſciunt ſane, niſi quod Dei potentiam tanquam Regiæ cujuſdam majeſtatis, imperium; naturæ autem tanquam vim & impetum imaginentur. Vulgus itaque opera naturæ inſolita vocat miracula, ſive Dei opera, & partim ex devotione, partim ex cupiditate adverſandi iis, qui ſcientias naturales colunt, rerum cauſas naturales neſcire cupit, & ea tantum audire geſtit, quæ maxime ignorat, quæque propterea maxime admiratur. Videlicet, quia nulla alia ratione, niſi cauſas naturales tollendo, reſque extra naturæ ordinem imaginando, Deum adorare, omniaque ad ejus imperium & voluntatem referre poteſt; nec Dei potentiam magis admiratur, niſi dum potentiam naturæ à Deo quaſi ſubactam imaginatur. Quod quidem originem duxiſſe videtur à primis Judæis, qui ut Ethnicos ſui temporis, qui Deos viſibiles adorabant, videlicet, Solem, Lunam, Terram, Aquam, Aërem &c. convincerent, iiſque oſtenderent, Deos illos imbecilles & inconſtantes, ſive mutabiles, & ſub imperio Dei inviſibilis eſſe, miracula ſua narrabant, quibus inſuper conabantur oſtendere, totam naturam, ex Dei, quem adorabant, imperio in eorum tantum commodum dirigi, quod quidem hominibus adeo arriſit, ut in hoc uſque tempus miracula fingere non ceſſaverint, ut ipſi Deo dilectiores reliquis, cauſaque finalis,

propter quam Deus omnia creavit & continuo dirigit, crederentur. Quid ſibi vulgi ſtultitia non arrogat, quod nec de Deo, nec de natura ullum ſanum habet conceptum, quod Dei placita cum hominum placitis confundit, & quod denique naturam adeo limitatam fingit, ut hominem ejus præcipuam partem eſſe credat. His vulgi de Natura, & miraculis opiniones, & præjudicia ſatis prolixe enarravi; attamen, ut rem ordine edoceam, oſtendam I. Nihil contra naturam contingere, ſed ipſam æternum fixum, & immutabilem ordinem ſervare, & ſimul quid per miraculum intelligendum ſit. II. Nos ex miraculis, nec eſſentiam nec exiſtentiam, & conſequenter, nec providentiam Dei poſſe cognoſcere, ſed hæc omnia longe melius percipi ex fixo & immutabili naturæ ordine. III. Ex aliquot Scripturæ exemplis oſtendam, ipſam Scripturam per Dei decreta & voliriones, & conſequenter providentiam nihil aliud intelligere, quam ipſum naturæ ordinem, qui ex ejus æternis legibus neceſſario ſequitur. IV. denique de modo miracula Scripturæ interpretandi, & de iis, quæ præcipue circa miraculorum narrationes notari debeant, agam. Et hæc præcipua ſunt, quæ ad hujus capitis argumentum ſpectant, & quæ præterea ad intentum totius hujus operis non parum inſervire exiſtimo. Ad primum quod attinet, id facile oſtenditur ex iis, quæ in cap. 4. circa legem divinam demonſtravimus, nempe; omne id, quod Deus

b c d e

vult ſive determinat, æternam neceſſitatem & veritatem involvere; oſtendimus enim ex eo, quod Dei intellectus à Dei voluntate non diſtinguitur, idem nos affirmare, cum dicimus Deum aliquid velle, ac cum dicimus, Deum id ipſum intelligere; quare eadem neceſſitate, qua ex natura & perfectione divina ſequitur, Deum rem aliquam, ut eſt, intelligere, ex eadem ſequitur, Deum eandem, ut eſt, velle. Cum autem nihil, niſi ex ſolo divino decreto neceſſario verum ſit, hinc clariſſime ſequitur, leges naturæ univerſales mera eſſe decreta Dei, quæ ex neceſſitate & perfectione naturæ divinæ ſequuntur. Si quid igitur in natura contingeret, quod ejus univerſalibus legibus repugnaret, id decretò, & intellectui, & naturæ divinæ neceſſario etiam repugnaret; aut ſi quis ſtatueret, Deum aliquid contra leges naturæ agere, is ſimul etiam cogeretur ſtatuere, Deum contra ſuam naturam agere, quo nihil abſurdius. Idem etiam facile ex hoc poſſet oſtendi, quod nimirum potentia naturæ ſit ipſa divina potentia & virtus; divina autē potentia ſit ipſiſſima Dei eſſentia, ſed hoc inpræſentiarum libentius omitto. Nihil igitur in natura cōtingit, (*Me hic per Naturam non intelligere ſolā materiam, ejuſque affectiones, ſed præter materiam, alia infinita, addit auctor ad hoc verbū*) quod ipſius legibus univerſalibus repugnet; at nec etiam aliquid, quod cum iiſdem non convenit, aut ex iiſdem non ſequitur: nam quicquid fit, per Dei voluntatem & æternum decre-

decretum ſit,hoc eſt,ut jam oſtendimus,quid- c
quid ſit, id ſecundum leges & regulas, quæ
æternam neceſſitatem & veritatem involvunt,
ſit; natura itaque leges & regulas quæ æter-
nam neceſſitatem & veritatem involvunt,
quamvis omnes nobis notæ non ſint, ſemper
tamen obſervat, adeoque etiam fixum atque
immutabilem ordinem; nec ulla ſana ratio ſua-
det, naturæ limitatam potentiam & virtutem d
tribuere, ejuſque leges ad certa tantum, &
non ad omnia aptas, ſtatuere; nam, cum
virtus, & potentia naturæ, ſit ipſa Dei virtus
& potentia, leges autem & regulæ naturæ,
ipſa Dei decreta, omnino credendum eſt, po-
tentiam naturæ infinitam eſſe, ejuſque leges
adeo latas, ut ad omnia, quæ & ab ipſo divino
intellectu concipiuntur, ſe extendant; alias
enim, quid aliud ſtatuitur, quam quod Deus e
naturam adeo impotentem creaverit, ejuſque
leges, & regulas adeo ſteriles ſtatuerit, ut ſæpe
de novo ei ſubvenire cogatur, ſi eam conſer-
vatam vult, & ut res ex voto ſuccedant, quod
ſana a ratione alieniſſimum eſſe exiſtimo. Ex
his itaque, quod in natura nihil contingit,
quod ex ejus legibus non ſequitur,* & quod
ejus leges ad omnia, quæ & ab ipſo Divino in-
tellectu concipiuntur, ſe extendunt, & quod f
denique natura fixum atque immutabilem or-
dinem ſervat; clariſſime ſequitur, nomen mi-
raculi non niſi reſpective ad hominum opi- p.
niones poſſe intelligi, & nihil aliud ſignificare, 70
quam opus, cujus cauſam naturalem exemplo a

alterius rei solitæ explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit aut narrat. Possem quidem dicere miraculum esse id, cujus causa ex principiis rerum naturalium lumine naturali notis explicari nequit; verum, quoniam miracula ad captum vulgi facta fuerunt, quod quidem principia rerum
b naturalium plane ignorabat, certum est, antiquos id pro miraculo habuisse, quod explicare non poterant eo modo, quo vulgus res naturales explicare solet, recurrendo scilicet ad memoriam, ut alterius rei similis, quam sine admiratione imaginari solet, recordetur; tum enim vulgus rem aliquam se satis intelligere existimat, cum ipsam non admiratur. Anti-
c qui itaque, & omnes fere in hoc usque tempus nullam præter hanc normam miraculi habuerunt; quare non dubitandum, quin in sacris literis multa tanquam miracula narrentur, quorum causæ ex principiis rerum naturalium notis facile possunt explicari, ut jam supra innuimus in cap. 2. cum de eo, quod sol steterit tempore Josuæ, & quod retrogradatus fuerit tempore Achaz, loquuti sumus; sed de his mox prolixius agemus, nempe circa miraculorum interpretationem, de quâ in hoc
d capite agere promisi. Hic jam tempus est, ut ad secundum transeam, nempe ut ostendam, nos ex miraculis nec Dei essentiam nec existentiam, nec providentiam posse intelligere, sed contra hæc longe melius percipi ex fixo atque immutabili naturæ ordine; ad quod demon-

demonſtrandum ſic procedo. Cum Dei exi-
ſtentia non ſit per ſe nota, debet neceſſario
concludi ex notionibus, quarum veritas adeo e
firma & inconcuſſa ſit, ut nulla dari neque
concipi poſſit potentia, a qua poſſint immu-
tari: nobis ſaltem ab eo tempore quo ex iis Dei
exiſtentiam concludimus, ita apparere debent,
ſi ex ipſis eam extra omnem dubitationis ale-
am concludere volumus: nam ſi poſſemus
concipere ipſas notiones ab aliaqua potentia,
quæcunque demum ea fuerit, mutari poſſe,
tum de earum veritate dubitaremus, & conſe- f
quenter etiam de noſtra concluſione, nempe
de Dei exiſtentia, nec de ulla re unquam po-
terimus eſſe certi. Deinde nihil cum natura
convenire, vel ei repugnare ſcimus, niſi id,
quod oſtendimus, cum iſtis principiis conve- p.
nire, vel iis repugnare; quare, ſi concipere poſ- 71
ſemus aliquid in natura ab aliqua potentia a
(quæcumque demum ea fuerit) poſſe fieri,
quod naturæ repugnet, id primis iſtis notioni-
bus repugnabit, adeoque id ut abſurdum reji-
ciendum, vel de primis notionibus (ut modo
oſtendimus) & conſequenter de Deo, & de
omnibus quomodocumque perceptis, dubi-
tandum. Longe igitur abeſt, ut miracula, qua-
tenus per id intelligitur opus, quod ordine na-
turæ repugnet, nobis Dei exiſtentiam oſten- b
dant; cum contra nos de eadem dubitare face-
rent, quando abſque iis abſolute de ipſa poſſe-
mus eſſe certi, nempe quando ſcimus, omnia
naturæ certum atque immutabilẽ ordinẽ ſequi.

At

At ponatur id esse miraculum, quod per causas naturales explicari non potest, quod quidem duobus modis potest intelligi, vel quod causas naturales quidem habet, quæ tamen ab humano intellectu investigari non possunt; vel quod nullam causam, præter Deum, sive Dei voluntatem agnoscit: Verum quia omnia, quæ per causas naturales fiunt, ex sola Dei potentia & voluntate etiam fiunt, necessario huc tandem perveniendum, nempe miraculum sive id causas naturales habeat, sive minus, opus esse, quod per causam explicari non potest, hoc est opus, quod captum humanum superat; sed ex opere, & absolute ex eo, quod nostrum captum superat, nihil intelligere possumus. Nam quicquid clare & distincte intelligimus, id per se, vel per aliud, quod per se clare & distincte intelligitur, nobis debet innotescere. Quare ex miraculo, sive opere, quod nostrum captum superat, nec Dei essentiam, nec existentiam, nec absolute aliquid de Deo, & naturâ intelligere possumus, sed contra, cum omnia à Deo determinata & sancita scimus esse, & operationes naturæ ex Dei essentiâ consequi, naturæ vero leges Dei æterna decreta & volitiones esse absolute concludendum, nos eo melius Deum, Deiqûe voluntatem cognoscere, quo melius res naturales cognoscimus, & clarius intelligimus, quomodo à prima sua causa dependent, & quomodo secundum æternas naturæ leges operantur. Quare ratione nostri

intel-

intellectus, longe meliore jure ea opera, quæ clare & diſtincte intelligimus, Dei opera vocanda, & ad Dei voluntatem referenda, quam ea, quæ plane ignoramus, quamvis imaginationem valde occupent, & homines in admira- p.
tionem ſui rapiant; quandoquidem ea ſola na- 72
turæ opera, quæ clare & diſtincte intelligimus, *a*
Dei cognitionem reddunt ſublimiorum, & Dei voluntatem & decreta quam clariſſime indicant; ii igitur plane nugantur, qui, ubi rem ignorant, ad Dei voluntatem recurrunt; ridiculus ſane modus ignorantiam profitendi. Porro quamvis ex miraculis aliquid concludere poſſemus, nullo tamen modo Dei exiſtentia
poſſet concludi; Nam, cum miraculum opus *b*
limitatum ſit, nec unquam, niſi certam & limitatam potentiam exprimat, certum eſt, nos ex tali effectu non poſſe concludere exiſtentiam cauſæ, cujus potentia ſit infinita, ſed ad ſummum cauſæ, cujus potentia major ſit; dico ad ſummum, poteſt enim etiam conſequi ex multis cauſis ſimul concurrentibus, opus aliquod, cujus quidem vis & potentia minor ſit poten-
tiâ omnium cauſarum ſimul, ac longe major *c*
potentiâ uniuſcujuſque cauſæ. At quoniam naturæ leges (ut jam oſtendimus) ad infinita ſe extendunt, & ſub quadam ſpecie æternitatis à nobis concipiuntur, & natura ſecundum eas certo, atque immutabili ordine procedat, ipſæ nobis eatenus Dei infinitatem, æternitatem & immutabilitatem aliquo modo indicant. Concludimus itaque nos per miracula,

Deum

d Deum, ejusque existentiam & providentiam
cognoscere non posse, sed hæc longe me-
lius concludi ex naturæ fixo atque immuta-
bili ordine. Loquor in hac conclusione de mi-
raculo, quatenus per id nihil aliud intelligi-
tur, quam opus, quod hominum captum se-
perat, aut superare creditur; nam quatenus
supponeretur ordinem naturæ destruere, sive
interrumpere, aut ejus legibus repugnare,
e eatenus (ut modo ostendimus) non tantum
nullam Dei cognitionem dare posset, sed con-
tra illam, quam naturaliter habemus, adime-
ret, & nos de Deo, & omnibus dubitare face-
ret. Neque hic ullam agnosco differentiam
inter opus contra naturam, & opus supra na-
turam; (hoc est, ut quidam ajunt, opus, quod
quidem naturæ non repugnat, attamen ab
f ipsa non potest produci, aut effici.) nam cum
miraculum non extra naturam, sed in ipsa
natura fiat, quamvis supra naturam statuatur,
tamen necesse est, ut naturæ ordinem inter-
rumpat, quem alias fixum atque immutabi-
lem ex Dei decretis concipimus. Si quid igitur
p. in natura fieret, quod ex ipsius legibus non se-
73 queretur, id necessario ordini, quem Deus in
a æternum per leges naturæ universales in na-
tura statuit, repugnaret, adeoque id contra na-
turam ejusque leges esset, & consequenter ejus
fides nos de omnibus dubitare faceret, & ad
Atheismum duceret. Et his puto, me id, quod
Secundo intendebam, satis firmis rationibus
ostendisse, ex quibus de novo concludere pos-
sumus,

ſumus, miraculum ſive contra naturam, ſive ſupra naturam, merum eſſe abſurdum; & propterea per miraculũ in ſacris litteris nihil aliud poſſe intelligi, quam opus naturæ, uti diximus, quod captum humanum ſuperat, aut ſuperare creditur. Jam antequam ad III. pergam, libet prius hanc noſtram ſententiam, nempe, quod ex miraculis Deum non poſſumus cognoſcere, authoritaté Scripturæ confirmare; & quamvis Scriptura hoc nullibi aperte doceat, facile tamen ex ipſa poteſt concludi, imprimis ex eo, quod Moſes (Deut. cap. 13.) præcipit, ut Prophetam ſeductorem, quamvis faciat miracula, mortis tamen damnent: ſic enim ait . . . . *& (*quamvis*) contigerit ſignum, & portentum, quod tibi prædixit &c, noli (*tamen*) aſſentire verbis ejus prophetæ &c, quia Dominus veſter Deus vos tentat &c, Propheta (*igitur*) ille mortis damnetur &c.* Ex quibus clare ſequitur, miracula à falſis etiam Prophetis poſſe fieri, & homines niſi Dei vera cognitione & amore probe ſint muniti, æque facile ex miraculis falſos Deos, ac Verum poſſe amplecti. Nam addit . . . . *quoniam Jehova veſter Deus vos tentat, ut ſciat, num eum amatis integro corde veſtro, & animo veſtro.* Deinde Iſraëlitæ ex tot miraculis nullum de Deo ſanum conceptum formare potuerunt, quod ipſa experientia teſtata eſt; nam, cum ſibi perſuaderent, Moſen ab iis abiiſſe, numina viſibilia ab Aharone petie-

b c d e

petierunt, & vitulus, proh pudor! eorum Dei
fuit idea, quam tandem ex tot miraculis for-
maverunt. Asaph quamvis tot miracula audi-
f vissèt, de Dei providentia tamen dubitavit,
& fere à vera via deflexisset, nisi tandem ve-
ram beatitudinem intellexisset, (vide Psal. 73.)
Salomon etiam, cujus tempore res Judæo-
rum in summo vigore erant, suspicatur omnia
casu contingere. Vide Eccl. cap. 3. vers. 19,
p. 20, 21. & cap. 9. vers. 2, 3. &c. Denique
74 omnibus fere Prophetis hoc ipsum valde ob-
a scurum fuit, nempe, quomodo ordo naturæ
& hominum eventus cum conceptu, quem
de providentia Dei formaverant, possent con-
venire, quod tamen Philosophis, qui non ex
miraculis, sed ex claris conceptibus res conan-
tur intelligere, semper admodum clarum fuit,
iis nimirum, qui veram fœlicitatem in sola
virtute, & tranquillitate animi constituunt,
b nec student, ut natura iis, sed contra, ut ipsi
naturæ pareant; utpote qui certe sciunt, Deum
naturam dirigere, prout ejus leges universales,
non autem prout humanæ naturæ particula-
res leges exigunt, adeoque Deum non solius
humani generis, sed totius naturæ rationem
habere. Constat itaque etiam ex ipsa Scrip-
tura miracula veram Dei cognitionem non
dare, nec Dei providentiam clare docere.
c Quod autem in Scriptura sæpe reperitur, Deum
portenta fecisse, ut hominibus innotesceret,
ut in Exodi cap. 10. vers. 2. Deum Ægyptios
illusisse, & signa sui dedisse, ut Israëlitæ
cognos-

cognoſcerent eum eſſe Deum ; inde tamen non ſequitur, miracula id revera docere, ſed tantum ſequitur, Judæos tales habuiſſe opiniones, ut facile iis miraculis convinci poſſent; ſupra enim in capite ſecundo clare oſtendimus, rationes propheticas, ſive quæ ex revelatione formantur, non elici ex notionibus univerſalibus & communibus, ſed ex conceſſis, quamvis abſurdis, & opinionibus eorum quibus res revelantur, ſive quos Spiritus ſanctus convincere vult, quod multis exemplis illuſtravimus, & etiam teſtimonio Pauli, qui cum Græcis erat Græcus, & cum Judæis Judæus. Verum quamvis illa miracula Ægyptios, & Judæos ex ſuis conceſſis convincere, non tamen veram Dei ideam, & cognitionem dare poterant, ſed tantum facere, ut concederent, dari Numen, omnibus rebus, iis notis, potentius, deinde quod Hebræos, quibus tum temporis omnia præter ſpem fœliciſſime ceſſerunt, ſupra omnes curabat, non autem quod Deus omnes æque curet ; nam hoc ſola Philoſophia docere poteſt ; ideo Judæi & omnes, qui non niſi ex diſſimili rerum humanarum ſtatu & impari hominum fortuna Dei providentiam cognoverunt, ſibi perſuaſerunt, Judæos Deo dilectiores reliquis fuiſſe, quamvis tamen reliquos vera humana perfectione non ſuperaverint, ut jam Cap. III. oſtendimus. Ad Tertium igitur pergo, ut ſcilicet ex Scriptura oſtendam Dei decreta & mandata, & conſequenter providentiam nihil eſſe revera præter natu-

d *e* *f* p. 75 *a*

naturæ ordinem, hoc eſt, quando Scriptura di-
cit hoc vel illud a Deo vel Dei voluntate
factum, nihil aliud revera intelligere, quam
quod id ipſum ſecundum leges & ordinem
naturæ fuerit factum, non autem, ut vulgus
opinatur, quod natura tamdiu ceſſavit agere,
b aut quod ejus ordo aliquamdiu interruptus
fuit. At Scriptura ea, quæ ad ejus do-
ctrinam non ſpectant, directe non docet,
quia ejus non eſt (ut circa legem divinam
oſtendimus) res per cauſas naturales, neque
res mere ſpeculativas docere: Quare id, quod
hic volumus, ex quibuſdam Scripturæ Hiſto-
riis, quæ caſu prolixius & pluribus cir-
cumſtantiis narrantur, per conſequentiam eli-
c ciendum eſt; talium itaque aliquot in me-
dium proferam. In Libro 1 Shamuëlis cap. 9.
verſ. 15, 16. narratur, quod Deus Shamuëli
revelavit, ſe Saulum ad eum miſſurum, nec ta-
men Deus eum ad Shamuëlem miſit ut homi-
nes ſolent aliquem ad alium mittere, ſed hæc
Dei miſſio nihil aliud fuit, quam ipſe naturæ
ordo; quærebat nimirum Saul (ut in præ-
dicto capite narratur) aſinas, quas perdide-
d rat, & jam abſque iis domum redire delibe-
rans, ex conſilio ſui famuli Shamuëlem Pro-
phetam adivit, ut ex eo ſciret, ubi eaſdam in-
venire poſſet, nec ex tota narratione conſtat,
Saulum aliud Dei mandatum præter hunc
naturæ ordinem habuiſſe, ut Shamuëlem adi-
ret. In Pſalm 105. vers. 24. dicitur, quod Deus
Ægyptiorum animum mutavit, ut odio
habe-

haberent Iſraëlitas, quæ etiam mutatio natu-
ralis plane fuit, ut patet ex cap. 1 Exodi, ubi e
ratio non levis Ægyptiorum narratur, quæ eos
movit, Iſraëlitas ad ſervitutem redigere. Cap.
9 Geneſ. verſ. 13, ait Deus Noæ, ſe iridem in
nube daturum, quæ etiam Dei actio nulla ſane
alia eſt, niſi radiorum ſolis refractio & refle-
xio, quam ipſi radii in aquæ guttulis patiun-
tur. Pſalmo 147. verſ. 18. vocatur illa venti
naturalis actio & calor, quo pruina & nix li-
queſcunt, verbum Dei; & verſ. 17, dictum & f
Dei verbum ventus & frigus vocantur. Ven-
tus & ignis vocantur in Pſalmo 104. verſ. 4.
legati, & miniſtri Dei, & alia ad hunc modum
plura in Scriptura reperiuntur, quæ clariſſi-
me indicant, Dei decretum, juſſum, dictum, p.
verbum nihil aliud eſſe quam ipſam naturæ 76
actionem, & ordinem; quare non dubium eſt, a
quin omnia quæ in Scriptura narrantur, na-
turaliter contigerint, & tamen ad Deum refe-
runtur, quia Scripturæ, ut jam oſtendimus,
non eſt, res per cauſas naturales docere, ſed
tantum eas res narrare, quæ imaginationem
late occupant, idque ea Methodo, & ſtylo,
qui melius inſervit, ad res magis admirandum,
& conſequenter ad devotionem in animis
vulgi imprimendum. Si igitur quædam in b
ſacris literis reperiuntur, quorum cauſas red-
dere neſcimus, & quæ præter, imo contra
ordinem naturæ videntur contigiſſe., ea morã
nobis injicere non debent, ſed omnino cre-
dendum, id, qnod revera contigit, naturaliter
con-

contigiſſe; quod etiam ex hoc confirmatur, quod in miraculis plures circumſtantiæ reperiebantur, quamvis tamen non ſemper narrentur, præcipue cum ſtilo Poëtico canantur; circumſtantiæ, inquam, miraculorum clare oſtendunt, ipſa cauſas naturales requirere. Nempe ut Ægyptii ſcabie infeſtarentur, opus fuit, ut Moſes favillam in aërem ſurſum ſpargeret; (vide Exodi cap. 9. verſ. 10.) locuſtæ etiam ex mandato Dei naturali, nempe ex vento orientali integro die & nocte flante, Ægyptiorũ regionem petierunt, & vento occidentali fortiſſimo eandem reliquerunt (vide Exod. cap. 10. verſ. 14, 19.) eodem etiam Dei juſſu mare viam Judæis aperuit, (vide Exod. cap. 14. verſ. 21.) nempe Euro, qui fortiſſime integrâ nocte flavit. Deinde ut Eliſa puerum, qui mortuus credebatur, excitaret, aliquoties puero incumbere debuit, donec prius incaluerit, & tandem oculos aperuerit, (vide Reg. lib. 2. cap. 4. verſ. 34, 35.) ſic etiam in Euangelio Joannis cap. 9. quædam narrantur circumſtantiæ, quibus Chriſtus uſus eſt, ad ſanandum cœcum, & ſic alia multa in Scripturis reperiuntur, quæ omnia ſatis oſtendunt, miracula aliud, quam abſolutum Dei, ut ajunt, mandatum requirere. Quare credendũ, quamvis circumſtantiæ miraculorum, eorumque naturales cauſæ non ſemper, neque omnes enarrentur, miracula tamen non ſine iiſdem contigiſſe. Quod etiam conſtat ex Exodi c. 14. verſ. 27. ubi tantum narratur, quod ex ſolo

nutu

nutu Mosis mare iterum intumuit, nec ulla venti mentio fit. Et tamen in Cantico (cap. 15.vers.10.) dicitur, id contigisse ex eo, quod Deus vento suo (id est, vento fortissimo) fla- p.
verit; quare hæc circumstantia in historia omit- 77
titur, & miraculum ea de causa majus videtur. a
At forsan instabit aliquis, nos perplura in Scripturis reperire, quæ nullo modo per causas naturales videntur posse explicari, ut quod peccata hominum, eorumque precationes, possunt esse pluviæ terræque fertilitatis causa, aut quod fides cæcos sanare potuit, & alia ad hunc modum quæ in Bibliis narrantur. Sed ad hæc me jam respondisse puto: ostendi enim
Scripturam res non docere per proximas suas b
causas, sed tantum res eo ordine, iisque phrasibus narrare, quibus maxime homines, & præcipue plebem ad devotionem movere potest, & hac de causa de Deo, & de rebus admodum improprie loquitur, quia nimirum non rationē convincere, sed hominum phantasiam & imaginationem afficere & occupare studet. Si enim Scriptura vastationem alicujus imperii,
ut historici politici solent, narraret, id plebem c
nihil commoveret, at contra maxime, si omnia poëtice depingat & ad Deum referat, quod facere solet. Cum itaque Scriptura narrat, terram propter hominum peccata sterilem esse, aut quod cœci ex fide sanabantur, ea nos non magis movere debent, quam cum narrat, Deum propter hominū peccata irasci, contristari, pœnitere boni promissi & facti, aut quod

d Deus ex eo quod signum videt, promissi re-
cordetur & alia perplurima, quæ vel poë-
tice dicta sunt, vel secundum Scriptoris opi-
niones, & præjudicia relata. Quare hic ab-
solute concludimus, omnia, quæ in Scrip-
tura vere narrantur contigisse, ea secundum
leges naturæ ut omnia necessario contigisse,
& si quid reperiatur, quod apodictice demon-
strari potest, legibus naturæ repugnare, aut
e ex iis consequi non potuisse, plane credendum
id a sacrilegis hominibus Sacris literis adjectum
fuisse: quicquid enim contra naturam est, id
contra rationem est, & quod contra rationem
id absurdum est, ac proinde etiam refutan-
dum. Superest jam tantum pauca ad huc de
miraculorum interpretatione notare, vel po-
tius recolligere (nam præcipua jam dicta sunt)
& uno aut altero exemplo illustrare, quod hic
f Quarto facere promisi, idque propterea volo,
ne quis miraculum aliquod male interpretan-
do, temere suspicetur se aliquid in Scriptura
reperisse, quod lumini naturæ repugnet. Raro
admodum fit, ut homines rem aliquam, ut
p. gesta est, ita simpliciter narrent, ut nihil sui
78 Judicii narrationi immisceant; Imo, cum ali-
a quid novi vident aut audiunt, nisi maxime a
suis præconceptis opinionibus caveant, iis ple-
rumque ita præoccupabuntur, ut plane aliud
quam quod vident, aut contigisse audiunt per-
cipiant, præsertim si res acta captum narrantis,
aut audientis superat & maxime si ad ejus rem
referat, ut ipsa certo modo contingat. Hinc fit,
ut

ut homines in ſuis Chronicis & hiſtoriis magis ſuas opiniones, quam res ipſas actas narrent, & ut unus, idemque caſus, a duobus hominibus, qui diverſas habent opiniones, ita diverſe narretur, ut non niſi de duobus caſibus loqui videantur & denique, ut ſæpe non admodum difficile ſit ex ſolis hiſtoriis opiniones Chronoghraphi & hiſtorici inveſtigare. Ad hæc confirmandum multa adferre poſſem, tam Philoſophorum, qui hiſtoriam naturæ ſcripſerunt, quam Chronographorum exempla, niſi id ſuperfluum exiſtimarem, ex Sacra autem Scriptura unum tantum adferam, de reliquis Lector ipſe judicet. Tempore Joſuæ Hebræi (ut jam ſupra monuimus) cum vulgo credebant, ſolem motu ut vocant, diurno moveri, terram autem quieſcere, & huic præconceptæ opinioni miraculum, quod iis contigit, cum contra quinque illos reges pugnarent, adaptaverunt; non enim ſimpliciter narraverunt, diem illum ſolito longiorem fuiſſe, ſed ſolem & lunam ſtetiſſe, ſive à ſuo motu ceſſaviſſe, quod ipſis etiam tum temporis non parum inſervire poterat, ad Ethnicos qui ſolem adorabant, convincendum & ipſa experientia comprobandum, ſolem ſub alterius numinis imperio eſſe, ex cujus nutu ordinem ſuum naturalem mutare tenetur. Quare partim ex religione, partim ex præconceptis opinionibus rem longe aliter, quam revera contingere potuit, conceperunt, atque enarraverunt. Igitur ad miracula Scripturæ interpretandum, &

b c d e

ex eorum narrationibus intelligendum, quo-
modo ipsa revera contigerint, necesse est opi-
niones eorum scire, qui ipsa primi narrave-
runt, & qui nobis ea scripto reliquerunt, & eas
ab eo, quod sensus iis repræsentare potue-
f runt, distinguere; alias enim eorum opinio-
nes & judicia cum ipso miraculo, prout re-
vera contigit, confundemus: nec ad hæc tan-
tum, sed ne etiam confundamus res, quæ
revera contigerunt, cum rebus imaginariis,
& quæ non nisi repræsentationes propheticæ
fuerunt, eorum opiniones scire refert. In Scri-
p. ptura enim multa, ut realia narrantur, & quæ
79 etiam realia esse credebantur, quæ tamen
a non nisi repræsentationes, resque imaginariæ
fuerunt; ut quod Deus (summum ens) è cœ-
lo descenderit (vide Exodi cap. 19. vers. 28.)
& Deut. cap. 5. vers. 28.) & quod mons Sinai
propterea fumabat, quia Deus supra eundum
descenderat, igne circumdatus. Quod Elias ad
cœlum igneo curru, & igneis equis ascenderit;
quæ sane omnia non nisi repræsentationes
d fuerunt, adaptatæ opinionibus eorum, qui eas
nobis, ut iis repræsentatæ sunt, nempe ut res
actuales tradiderunt. Omnes enim, qui aliquan-
tulum supra vulgum sapiunt, sciunt, Deum
non habere dextram, neque sinistram, neque
moveri, neque quiescere, neque in loco, sed ab-
solute infinitum esse, & in eo omnes contineri
perfectiones. Hæc, inquam, ii sciunt, qui res ex
e perceptionibus puri intellectus judicant, &
non prout imaginatio a sensibus externis
affi-

afficitur, ut vulgus ſolet, quod ideo Deum corporeum, & imperium regium tenentem imaginatur, cujus ſolium in convexitate cœli ſupra ſtellas eſſe fingit, quarum a terra diſtantiam non admodum longam credit eſſe. Et his & ſimilibus opinionibus (uti diximus) perplurimi Scripturæ caſus adaptati ſunt, qui proinde non debent ut reales a philoſophis accipi. Refert denique ad miracula, ut realiter contigerint, intelligendum, Hebræorum phraſes & tropos ſcire, qui enim ad ipſos non ſatis attenderit, multa Scripturæ affinget miracula, quæ ejus ſcriptores nunquam enarrare cogitaverunt, adeoque non tantum res & miracula, prout revera contigerint, ſed mentem etiam, authorum codicum plane ignorabit. E G. Zacharias cap. 14. verſ. 7. de quodam bello futuro loquens, ait . . . . d

. . . . e

& dies erit unicus. Deo tantum notus, non (enim erit) *dies neque nox, tempore autem veſpertino lux erit.* Quibus verbis magnum miraculum prædicere videtur, & tamen iis nihil aliud ſignificare vult, quam quod bellum toto die erit anceps, ejuſque eventus Deo tantum notus, & quod tempore veſpertino victoriam adipiſcentur; ſimilibus enim phraſibus victorias & clades nationum prædicere & ſcribere ſolebant Prophetæ. Sicuti videmus Eſaiam qui cap. 13. vaſtationem Babiloniæ ſic depingit . . . . f

. . . .

p. *quoniam stellæ cæli, ejusque sidera non illumi-*
8 *nabunt luce sua, sol in ortu suo tenebrescet, &*
a *luna non emittet splendorem suæ lucis*: quæ sane neminem credere existimo in vastatione illius imperii contigisse; ut neque etiam ea, quæ mox addit, nempe . . . . *propterea cælos contremiscere faciam, & terra e suo loco dimovebitur* Sic etiam Esaias cap. 48. vers. ult, ut Judæis significaret, eos Babilonia
b Hierosolymam secure redituros, neque in itinere sitim passuros, ait, ... *& non sitiverunt, per deserta eos duxit, aquam ex petra iis instillare fecit, petram rupit, & fluxerunt aquæ*. His inquam verbis nihil aliud significare vult, quam quod Judæi fontes in desertis, ut fit, invenient, quibus sitim suam mitigabunt; nam cum ex consensu Cyri
c Hierosolymam petierunt, nulla similia miracula iis contigisse constat; & ad hunc modum perplurima in sacris litteris occurrunt, quæ tantum modi loquendi inter Judæos fuerunt, nec opus est, omnia hic singulatim recensere; sed tantum hoc in genere notari velim, Hebræos his phrasibus non tantum consuevisse ornate; sed etiam & quidem maxime, devote loqui. Hac enim de causa in
d sacris literis invenitur, *Deo benedicere* pro *maledicere* (vide Lib. 1. Reg. cap. 21. vers. 10. & Job. cap. 2. vers. 9.) & eadem etiam de causa omnia ad Deum referebant, & ideo Scriptura nihil nisi miracula narrare videtur, idque, cum de rebus maxime naturalibus loquitur,

cu-

cujus rei exempla aliquot jam ſupra retulimus, quare credendum, cum Scriptura dicit, Deum cor Pharaonis induraviſſe, nihil aliud tum ſig- *e*
nificari, quam quod Pharao fuit contumax. Et cum dicitur Deum feneſtras cœli aperire, nihil aliud ſignificat, qnam quod multa aqua pluerit, & ſic alia. Ad hæc igitur, &, quod multa admodum breviter, ſine ullis circumſtantiis, & fere mutilate narrentur, ſi quis probe attenderit, nihil fere in Scriptura reperiet, quod poſſit demonſtrari lumini naturæ repugnare, & contra multa, quæ obſcuriſſima viſa ſunt, me- *f*
diocri meditatione intelligere poterit & facile interpretari. Atque his exiſtimo, me id, quod intenderam ſatis clare oſtendiſſe. Attamen antequam huic capiti finem dem, aliud adhuc reſtat, quod hic monere volo; nempe, me alia prorſus methodo hic circa miracula proceſſiſ- p.
ſe. quam circa Prophetiam. De prophetia enim 81
nihil affirmavi, niſi quod ex fundamentis in *a*
Sacris literis revelatis concludere potui, at hic præcipua ex ſolis principiis lumine naturali notis elicui; quod etiam conſulto feci; quia de prophetia, quandoquidem ipſa captum humanum ſuperat, & quæſtio mere Theologica eſt, nihil affirmare, neque etiam ſcire poteram, in quo ipſa potiſſimum conſtiterit, niſi ex fundamentis revelatis; atque *b*
adeo coactus tum fui hiſtoriam prophetiæ concinnare, & ex ea quædam dogmata formare, quæ me naturam prophetiæ, ejuſque proprietates, quo ad fieri poteſt, docerent.

At hic circa miracula, quia id, quod inquirimus (nempe an concedere possumus aliquid in natura contingere, quod ejus legibus repugnet, aut quod ex iis non posset sequi) philoso-
c phicum plane est, nullo simili indigebam; imo consultius duxi, hanc quæstionem ex fundamentis lumine naturali cognitis ut pote maxime notis enodare: dico, me id consultius duxisse: nam eam etiam ex solis Scripturæ dogmatibus & fundamentis facile solvere potueram; quod, ut unicuique pateat, hic paucis ostendam. Scriptura de natura in genere quibusdam in locis affirmat, eam fixum atque
d immutabilem ordinem servare, ut in Psal. 148. vers. 6. & Jerem. cap. 31. vers. 35, 36. Philosophus præterea in suo Eccl. cap. 1. vers. 10. clarissime docet, nihil novi in natura contingere; & vers. 11, 12. hoc idem illustrans, ait, quod, quamvis aliquando aliquid contingat, quod novum videtur, id tamen novum non est, sed in seculis, quæ antea fuerunt & quorum nulla est memoria, contigit; nam ut
e ipse ait, antiquorum nulla est apud hodiernos memoria, nec ulla etiam hodiernorum apud posteros erit. Deinde cap. 3 vers. 11. dicit Deum omnia probe in eorum tempus ordinavisse, & vers. 14. se novisse, ait, quod quicquid Deus facit, id in æternum permanebit, nec ei aliquid addi, nec de eo aliquid subtrahi posse; quæ omnia clarissime docent, naturam fixum atque immutabilem ordinem servare.
f Deum omnibus seculis nobis notis & ignotis eun-

eundem fuisse, legesque naturæ adeo perfe-
ctas & fertiles esse, ut iis nihil addi neque de-
trahi possit, & denique miracula, non nisi
propter hominum ignorantiam, ut aliquid
novi, videri. Hæc igitur in Scriptura expresse
docentur, at nullibi, quod in natura aliquid p.
contingat, quod ipsius legibus repugnet, aut 82
quod ex iis nequeat sequi, adeoque neque e- a
tiam Scripturæ affingendum. Ad hæc accedit,
quod miracula causas & circumstantias
requirant (ut jam ostendimus) & quod non
sequantur ex nescio quo imperio regio,
quod vulgus Deo affingit, sed ex imperio &
decreto divino, hoc est, (ut etiam ex ipsa
Scriptura ostendimus) ex legibus naturæ e-
jusque ordine, & quod denique miracula e-
tiam a seductoribus fieri possint, ut convinci- b
tur ex cap. 13 Deut. & cap. 24. vers. 24 Mat-
thæi. Ex quibus porro evidentissime sequitur,
miracula res naturales fuisse, atque adeo ea-
dem ita explicanda, ut neque nova (ut Salo-
monis verbo utar) neque naturæ repugnantia
videantur, sed, si fieri potuit, ad res naturales
maxime accedentia, quod ut facilius ab uno-
quoque possit fieri, quasdam regulas ex sola
Scriptura petitas tradidi. Attamen, quamvis di- c
cam, Scripturam hæc docere, non tamen in-
telligo, hæc ab eadem doceri tanquam docu-
menta ad salutem necessaria, sed tantum quod
Prophetæ hæc eadem uti nos amplexi sunt;
quare de his unicuique, prout sibi melius esse
sentiet, ad Dei cultum, & religionem integro

animo ſuſcipiendum, liberum eſt exiſtimare.
d Quod etiam Joſephus ſentit; ſic enim in concluſione Libri II. antiquit. ſcribit. *Nullus vero diſcredat verbo miraculi, ſi antiquis hominibus, & malitia privatis via ſalutis liquet per mare facta, ſive voluntate Dei, ſive ſponte revelata: dum & eis, qui cum Alexandro rege Macedoniæ fuerunt olim, & antiquitus à reſiſtentibus Pamphylicum* mare *diviſum ſit, & cum aliud* iter non eſſet, *tranſitum præbuit iis, volente Deo, per eum Perſarum deſtruere principatum; & hoc confitentur omnes, qui actus* e *Alexandri ſcripſerunt, de his itaque, ſicut placuerit cuilibet exiſtimet.* Hæc ſunt verba Joſephi; ejuſque de fide miraculorum judicium. Fideliter hactenus ſcriptum ipſum adverſarii totum exhibui, niſi quod voces Hebraicas, quarum in hac diſputatione nullus erit uſus, ſtudio omiſi, contentus ſola ipſius interpretatione, ne quis in iis aliquid latere putet myſterii. Id quod feci, ne Lector, ſi ſerio velit examinare, quid aut quantum ſit, quod hic adverſus Philoſophum præſtiti, compelli aut invitari ſaltem videatur, ut infauſtum ejus librum magno ſatis pretio ſibi comparet. Si ergo patienter audivit orationem hominis intricatam, audiat & ſimplicem quam reponimus reſponſionem.

VINDICIÆ DIVINORUM MIRACULORUM.

§ 6. MOlitur hic homo propositam sibi miraculorum, de quibus agendum est, refutationem duplici via; Primo *ex fundamentis lumine naturali cognitis, utpote maxime notis,* inquit (p.81.*c.*) sed & quamvis se dicat duxisse consultius, ut eum ordinem institueret, subjicit tamen ibidem, *etiam ex solis Scripturæ dogmatibus & fundamentis idem se facile potuisse; quod ut unicuique pateat,* inquit, *hic paucis ostendam.* Satis animose. Ego, qui fateor mihi fundamenta ipsius naturalia plane inania & insulsa videri, consultius contra mihi & aliis judico, prius illa Sacræ Scripturæ loca inspicere, ad quæ provocat, & quæ idem secum testari profitetur: Nam *Prophetæ hæc eadem* (inquit p.82.c.) *uti nos amplexi sunt:* quod si verum est, puto plusquam mirum jure videri debere, quod, per integrum spacium ter mille circiter annorum, nemo mortalium præter hunc hominem solum, istam ipsorum prophetarum sententiam observaverit.

§ 7. Audiamus ergo probationem istam ex ipsa Scriptura. *Scriptura* inquit (p.81.c.d.) *de natura in genere quibusdam in locis affirmat, eam fixum atque immobilem ordinem servare, ut Ps.* 148. *vers* 6. *Jerem. cap.* 31. *vers* 35,36. Verum hoc est: sed non est verum, quisquis de fixo naturæ ordine quid scribit, eum negare ulla unquam extra naturæ ordinem miracula evenire potuisse. Melius, credo, ut alibi, ita hic quoque dixisset homo, si serum vellet consentire, rerum

naturalium tam ignaros fuisse prophetas, ut eorum judicium parvi sit faciendum.

§ 8. Ille vero recte eos dicet in hac parte sentire cum philosopho Salomone. Audiatur ergo & ille, cui longe majorem ac solidiorem superius veritatis cognitionem, quam ullis Prophetis adscripsit: de eo sic porro loqui pergit. *Philosophus præterea, in suo Ecclesiaste cap. 1. vers. 10. clarissime docet, nihil novi in natura contingere, & v. 11, 12. hoc idem illustrans ait, quod quamvis aliquando aliquid contingat, quod novum videtur, id tamen novum non est, sed in seculis quæ antea fuerunt, & quorum nulla est memoria, contigit; nam, ut ipse ait, antiquorum nulla est apud hodiernos memoria, nec ulla etiam hodiernorum apud posteros erit.* Hic notandum est, ipsum quo facilius lectori obtrudat, miracula in Scripturis ea non dici, quæ præter naturæ ordinem evenerunt, sed tantum ea quæ vulgi captum excedebant, Salomoni temere & falso adscribere, quod dicat Eccles. cap 1. vers 10 nihil unquam novi in natura contigisse. Dixerat ille vers 9. nihil esse novi sub sole: at naturæ mentionem nusquam fecit. Si propositum habuisset de naturæ immutabilitate agere, non locutus esset de iis solis quæ sub sole sunt, sed ipsum quoque solem una cum iis quæ supra sunt simul complexus esset. Sed & quid absurdius, quam eum qui docere velit nihil unquam extra naturæ ordinarium cursum evenisse, si id Salomon intendisset, provocare ad antiqua sæcula, quorum nulla memoria est? Etiamsi Salomoni concederem simile quid ejus quod nunc mihi

novum

novum videtur evenire potuisse etiam olim in illis prioribus sæculis; An eo ipso evicisset, id fuisse tunc quoque juxta naturæ ordinarium cursum factum? Evenit: ergo evenit secundum ordinarium naturæ cursum. Quis eum tam inepte loquentem introducere audeat. Dico ego ex hoc ipso quod ad antiqua illa sæcula provocat manifestum fieri, Salomonem ibi locutum esse de rebus quæ extra consuetum ordinem evenerunt; quæ tamen per vices aliquando recurrerunt: qualia sunt, enormes tempestates, fames, pestilentiæ, inundationes, ignoti morbi &c. quæ fortasse in pœnam hominibus immissa fuerunt. Si de talibus Salomon loquitur fieri non potest ut dicatur eo argumento docere velle id quod novus hic ei philosophus tribuit. At mihi videtur id quod dicit multo facilius applicari posse ac debere ad eas res, quæ in communi hominum vita, quam quæ in ipsa natura extra ordinem eveniunt. Verum est quidem eum exempla seu similitudines etiam à rebus naturalibus petere; at non vult, si bene attendas, eas considerari tanquam immutabiles, & ab omni inconstantia alienas: sed tanquam res quæ quasi in vanum laborent plus quam credi posset, quia semper etiam suus ipsis labor actus in orbem redit. Oritur sol, inquit, & occidit sol, & ad locum suum unde ortus est regreditur: Sic ad circuitus suos redit ventus: omnia flumina pergunt ad mare, & illuc revertuntur unde processerunt, ut rursus redeant. Quo fine vero ista? Ut ad hominum inanes & inutiles labores veniat, quem scopum in toto hoc

ſcripto propoſitum habet. Sicut jam ante indicatum fuit vers 3. cum dixit; Quid utilitatis eſt homini de univerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole? Agit igitur non obſcure de rebus, quæ ab hominibus, dum in hoc mundo ſunt, geruntur. Et hoc præcipue ſibi velle in Eccleſiaſte illa verba *ſub Sole*, cuivis, ne multa conquiram exempla, protinus apparebit ex his paucis, quæ leguntur. Cap. 1. vers 3. 12, 13, 14. & cap. 2. vers 3. 11. 17, 18, 20, 22. Oſtendere vult, inquam, Salomon, nullum homini laborem in hac vita veram animi tranquillitatem adferre poſſe, ſed ejus loco tædium & moleſtiam tantum creare. Quod ut perſuadeat, confirmat per totum eum librum variis exemplis laborum, quos ſuſceperunt homines, tum ipſe, tum & alij, ſive illi honeſti ac laudabiles videantur, ſive etiam vituperabiles vel deteſtandi, illi omnes denique nil niſi moleſtiam & animi afflictionem, inquit, pariunt, excepto, ut concludit Cap. 12. vers 13, 14. unico timore Dei, & ejus mandatorum obſervatione, quorum aliquando ratio erit reddenda: de naturæ vero immutabilitate in allegatis quidem hactenus locis non agit. Facile eſt verba in diverſum ab autoris mente ſenſum alio torquere. Qui errare nolit ejus ſcopo debet inſiſtere; ſunt enim ſecundum ſubjectam materiam accipienda. Poſſunt igitur variis locis varios quoque habere ſenſus, nuſquam tamen ſignificare nihil extra naturæ ordinem evenire poſſe, niſi ubi demonſtraveris authorem de ipſa cauſarum naturalium immutabilitate agere.

§ 9. Sed

§ 9. Sed citat bonus hic philoſophus adhuc duo alia teſtimonia ex eodem libro, in quibus non agitur de hominum operibus, eorumque moleſtia ac labore, quo ſub ſole affliguntur, ſed de ipſius Dei operibus. Capite enim 3. vers 3. *dicit* (hæc ſunt authoris de Salomone verba) *ſe noviſſe Deum omnia probe in eorum tempus ordinaviſſe.* Quis de eo unquam dubitabit? & quis negare poſſit, quicquid unquam miraculorum effectum dedit, etiam illud opportuniſſimo à Deo fuiſſe tempore factum, ſic ut nihil magis decuerit? Hæc ergo nihil ad rem. Pergit dein philoſophus: & *vers* 14. *ſe noviſſe*, ait, *quod quicquid Deus facit, id in æternum permanebit, nec ei aliquid addi, nec de eo aliquid ſubtrahi poſſe.* Eſto: quamvis dici poſſet, falſum eſſe de infinitis rerum individuis, ea æterna eſſe, & tam perfecta, ut nihil iis addi, nec detrahi poſſit; ſed concedatur tamen verum id eſſe de rerum ipſarum ſpeciebus (quanquam ne hoc quidem video, quomodo philoſophus evinceret, rerum ſpecies, quæ ſunt univerſalia, quæque nullam niſi in ſingularibus habent ſubſiſtentiam, ipſas per ſe eſſe opera Dei) quod hinc tandem colligere intendit. *Quæ omnia*, inquit, *clariſſime docent, naturam fixum atque immutabilem ordinem ſervare.* Nugas agit, perinde ac ſi certum ſit, nulla eſſe Dei opera præter ſola opera naturæ: quod contra eſſe liquet ex eo quod Chriſtus ait Joh. 5. v. 17. *Pater meus uſque adhuc operatur;* & Gamaliel. Act. 5. v. 38, 39. *Si ex hominibus eſt hoc conſilium, aut opus, diſſolvetur; ſin ex Deo eſt non*

pote-

poteritis dissolvere. Videmus ergo secundum scripturas hæc etiam de aliis Dei operibus posse intelligi. Sed ut ei largiamur quicquid hic videtur intendere, nondum apparet, inde sequi miracula (ibid *f*) in sacris litteris memorata, *non nisi propter hominum ignorantiam, ut aliquid novi videri*, nisi probet author hoc ipsum etiam de miraculis à Salomone hoc in loco enunciari. Id cum non faciat, ostendit se lectoribus imponere.

§ 10. Sed consequentiæ rationem clariorem reddere velle videtur sequentibus aliquot argumentis: quorum primum ita habet (p. 81.*f*. 82.*a*) *Hæc igitur in Scriptura expresse docentur, at nullibi, quod in natura aliquid contingat, quod ipsius legibus repugnet, aut quod ex iis nequeat sequi.* Quid refert, quod Scriptura, cujus non est hodiernis philosophorum terminis uti, non totidem verbis id enuntiet; quod tamen miracula plurima commemorando, è quibus id aperte sequitur, satis manifestum facit, quoad quis contrarium non modo audacter è tripode pronunciet; sed evidenter demonstret?

§ 11. Alterum argumentum sequitur in hæc verba: *Ad hæc accedit* (p. 82. *a*) *quod miracula causas & circumstantias requirant, (ut jam ostendimus* inquit) *& quod non sequantur ex nescio quo imperio Regio, quod vulgus Deo affingit, sed ex imperio & decreto divino, hoc est (ut etiam ex ipsa Scriptura ostendimus) ex legibus naturæ ejusque ordine.* At quam hoc totum, quod ex ejus argumentis philosophicis petitum est, insul-

sum

ſum ſit, infra apparebit cum de miraculorum circumſtantiis loqúemur.

§ 12. Tertium ergo argumentum hoc eſt (p.81.*b*) *Et quod denique miracula etiam à ſeductoribus fieri poſſint, ut convincitur ex Cap.*13. *Deut.* & *cap.*24. *vers* 24. *Matthei.* At quamvis illa miracula, de quibus agitur in locis & Deuteronomio & Matthæo citatis, res tantum naturales fuiſſe concederetur, à naturalibus & ordinariis cauſis dependentes, imo offuciæ & præſtigiæ meræ fuerint; Quid hoc ad reliqua quæ facta ait ipſa Scriptura à Deo! Et aliquando à Deo ſolo? Quid jam lucri feciſſet author, & quam egregie cauſam ſuam apud eos egiſſet, ſi qui tales ſunt qui ſtatuant, etiam ſupra naturam, Deo permittente, & homines tentare volente; quod dicto loco Moſes diſerte teſtatur nonnunquam verum aliquod miraculum, id eſt, extra naturæ ordinem aliquid eſſe factum? Cur enim eos tentare dictus eſſet Deus, ſi nihil extra ordinem faciebat? qualia etiam intelligi poſſunt quædam ex illis eſſe, quæ divus Paulus memorat in 2.Theſſ.2. vers 9, 10, 11, 12. Vera inquam miracula quæ non à ſolo naturæ ordine dimanant.

§ 13. Hactenus illa ſolida authoris è ſacra Scriptura probatio; quæ non minus ſolida, fateor, atque evidens eſt, quam erit altera, quæ ex ipſius philoſophia deſumitur: ſolida atque evidens fortaſſe credulis, qui illi omnes ipſius hypotheſes largientur, tum quas ſe putat ſupra alicubi demonſtraſſe, tum quas hic (p.68.*f* & 69.*a*) inſuper addit, tam intricatas omnes, ut nihil in

iis

iis nisi tenebras, credo, visurus sit lector. Postquam enim (p. 68. *b, c, d.*) recepisset ostensurum se quatuor hæc sequentia, de quibus & nos ordine, quantum satis est, agemus. 1. *Nihil contra naturam contingere.* 2. *Nos ex miraculis nec essentiam, nec existentiam, & consequenter nec providentiam Dei posse cognoscere.* 3. *Ipsam Scripturam per Dei decreta & volitiones, & consequenter per providentiam, nihil aliud intelligere quam ipsum naturæ ordinem.* 4. *Quomodo miracula Scripturæ interpretanda sint,* hæc subjicit.

§ 14. *Ad primum quod attinet, id facile ostenditur ex iis, quæ in Cap. 4. circa legem divinam demonstravimus, nempe, omne id quod Deus vult sive determinat, æternam necessitatem & veritatem involvere; ostendimus enim ex eo, quod Dei intellectus à Dei voluntate non distinguatur, idem nos affirmare, cum dicimus, Deum aliquid velle, ac cum dicimus, Deum id ipsum intelligere, quare eadem necessitate, qua ex natura & perfectione divina sequitur, Deum rem aliquam, ut est, intelligere; ex eadem sequitur, Deum eandem, ut est, velle. Cum autem nihil, nisi ex solo divino decreto, necessario verum sit, hinc clarissime sequitur, leges naturæ universales mera esse decreta Dei, quæ ex necessitate & perfectione naturæ divinæ sequuntur. Si quid igitur in natura contingeret, quod ejus universalibus regulis repugnaret, id decreto & intellectui naturæ divinæ necessario etiam repugnaret: aut si quis statueret, Deum aliquid contra naturæ leges agere, is simul etiam cogeretur statuere, Deum contra suam naturam agere,*

agere, quo nihil absurdius. En primum ejus argumentum, in quo ego quidem nihil nisi meram caliginem video. Quis tam linceos habet oculos, ut perspiciat, authorem hic per bonam consequentiam evidenter ostendere, Deum nihil quicquam extra naturæ ordinem posse? Certe qui sic loquitur ut nolit intelligi, debet negligi, ne tempus, res pretiosissima inutiliter teratur. Quæ ineptior enim argumentandi ratio, quam ista? *Ostendimus ex eo quod Dei intellectus à Dei voluntate non distinguatur, idem nos affirmare &c.* Non erat aliquid colligendum ex eo quod Dei intellectus ab ipsius voluntate non distinguatur, Sed prius deberet ostendi id verum esse, quam ut inde aliud concluderet; nam quod dicit id se supra evidenter ostendisse, alius putabit falsum esse. Nihil est quod impudentia humana non audeat protrudere: Eam impudentiam facile deprehendet, cui vacabit locum ab authore citatum inquirere, & serio examinare. Quid item ineptius quam, *nos idem affirmare, cum dicimus, Deum aliquid velle, ac cum dicimus Deum id ipsum intelligere?* Quodnam est istud principium, quæso, à natura notum, quod dictat nobis actiones intelligendi & volendi in Deo per omnia idem esse, adeo ut & mala omnia à se vetita, quia intelligit etiam velit? Mihi lumen naturale dictat duo diversa nos affirmare, cum vocibus utimur quæ manifeste diversas habent significationes, quas nos item sine mendacio aliter quam secundum ipsarum significationes accipere non possumus.

§ 15. Sed

§ 15. Sed quia ablegat author lectorem suum ad cap. 4. fortasse is suspicabitur, ibi rem clarius explicari ac demonstrari. Dicendum ergo est aliquid & de illo capite, & de argumentatione ibidem proposita. Inscribitur illud caput ab authore de lege divina, quamvis in eo argumentis futilissimis, id agat præcipue, si non solum, ut ostendat, nullam omnino proprie dictam esse legem divinam, ac necesse posse: quocirca & (p. 49. *b. c.*) colligit post multam verborum copiam temere effusam, Adamo non latam fuisse à Deo legem, ne de arbore scientiæ boni & mali comederet: ita & nec cuiquam alii proprie dictam legem à Deo ullam unquam esse latam, quæ scilicet voluntatem ipsius contineat; sed quæ leges divinæ nobis esse judicantur, respectu Dei nihil esse aliud, quam meras affirmationes aut negationes æternam veritatem continentes. V.G. Cum dictum est Adamo, ne edas de fructu illius arboris, alioqui morte morieris, sensum nullum esse alium quam hunc; Cum edes de arboris illius fructu, id quod jam est à me ipso decretum ut facias, etsi tibi Adame nondum revelatum, certo morieris. In hoc capite ergo manifestissima ponuntur atheismi fundamenta. Si enim nullæ sunt proprie ac vere dictæ Dei leges, ergo nemo proprie ac vere dici potest Dei leges violare: tum si verum est id quod in eodem capite (p. 44. *b.*) absolute concedit author (nam concedere huic homini idem est quod probare, quamvis agat de eo, quod scit ipse infinitis mortalibus improbari) *omnia ex legibus naturæ universalibus determi-*

nari

nari ad existendum & operandum certa ac determinata ratione; sequitur omnia necessario evenire secundum ipsa Dei decreta; quibus nemo nec potest nec debet reluctari velle. Quod si ita est, quæ, quæso, potest in ullo peccato homini culpa tribui, & quæ ratio ipsum convincere potest, quod ullam mereatur pœnam, seu in hac, seu post hanc vitam? Ita molitur novus magister, dum hominibus omnem metum adimit; impietatis semina ipsis inserere, quo tollat omnem plane Religionis necessitatem, & ei substituat omnium plane libidinum, quamdiu hominibus occultari possunt, plenam licentiam, per certissimam impunitatis exspectationem. At qui scit ipse, nullos esse seu aerios spiritus, seu dæmones Platoni dictos, quibus aliqua libertas à Creatore Deo concessa est, qua possunt aliquando non totam quidem rerum naturam mutare, sed aliquid saltem in hac aut in illa ejus parte (sicut & ipsi homines multa possunt) unde totam illam necessitatis absolutæ in rebus omnibus concatenationem collabi necesse est. Quamvis autem tam aperte absolutam omnium rerum necessitatem hic concesserit, seu adstruxerit, tamen in eadem pagina (44. e) monet, *ad usum vitæ melius, imo necesse esse res ut possibiles considerare.* Quo verissimo verbo ostendit, suam politicam nullius esse momenti, id est, eam suæ ipsius Theologiæ repugnare; nec posse administrari rempublicam, nisi ab eo, qui per omnes vitæ actus simulatorem se præstet eximium, nec vereatur unquam vel Dei nomine ipso, si res ita ferat, nefarie abuti.

Quo-

Quocirca mortalibus certe fuiſſet utilius ipſam ſuam Theologiam (ut vitæ ipſorum perniciosam) cum politia non miſcere: quia miſcella iſta alio non poteſt tendere, quam ut Principes & Magiſtratus ignaram plebem mentiantur, ſe ex ſinceræ conſcientiæ dictamine cum ipſis agere: quæ ignorantia ubi apud illos ceſſaverit, quid ſupereſt, niſi ut homines illa naturali ſua quiſque libertate utantur, & in mutuam undique perniciem ruant.

§ 16. In hoc ergo eodem capite (p.48. *f.* & 49. *a.b.*) legitur inſignis ea demonſtratio, ad quam hoc loco lectorem provocat author his verbis. *Voluntas Dei à Dei intellectu non niſi reſpectu noſtræ rationis diſtinguitur.* En ſtolidam authoris rationem, qui putat ſe demonſtrare id quod concedit, vel affirmat. Sed addit tamen hujus ſuæ ſententiæ explicationem, ut imponat lectori incauto, quod explicatio quævis aliis tantum verbis facta non ſit petitio principii, ut loquuntur, ſed bona ac ſolida demonſtratio; Sic igitur pergit. *Hoc eſt, Dei voluntas & Dei intellectus in ſe revera unum & idem ſunt, nec diſtinguuntur, niſi reſpectu noſtrarum cogitationum, quas de Dei intellectu formamus. Exempli gratia, cum ad hoc tantum attendimus, quod natura Trianguli in natura divina ab æterno continetur, tanquam æterna veritas, tum dicimus Deum trianguli ideam habere, ſive naturam trianguli intelligere: ſed cum poſtea ad hoc attendimus quod natura trianguli ſic in natura divina continetur, ex ſola neceſſitate divinæ naturæ, & non ex neceſ-*

ſitate

ſitate eſſentiæ & naturæ trianguli; imo quod neceſſitas eſſentiæ & proprietatum trianguli, quatenus etiam ut æternæ veritates concipiuntur, à ſola neceſſitate divinæ naturæ & intellectus pendeat, & non ex natura trianguli, tum id ipſum quod Dei intellectum vocavimus, Dei voluntatem ſeu decretum appellamus. Quare reſpectu Dei unum & idem affirmamus, cum dicimus, Deum ab æterno decreviſſe & voluiſſe tres angulos trianguli æquales eſſe duobus rectis, vel Deum hoc ipſum intellexiſſe. Hæc eſt illa clariſſima, ſolidiſſima, ac certiſſima ex ipſis à natura notis principiis, ſeu notionibus evidentiſſimis petita demonſtratio, tam evidens ſi authori gratificari velis, ad probandum quod reſpectu Dei intellectus & voluntas Dei per omnia idem ſint, quam quod bis duo faciant quatuor. Mihi vero hæc tam perſpicua non ſunt: optaſſem ut exemplum protuliſſet tam ſubtilibus ſpeculationibus non involutum: ſequar tamen præeuntem, & dicam, nullo modo evidens, imo falſum eſſe ſecundum principia à natura nota, quod natura trianguli ſic in natura divina continetur ex ſola neceſſitate divinæ naturæ, & non ex neceſſitate eſſentiæ & naturæ trianguli: nulla enim veritas cujuſcunque objecti ſecundum naturalis Luminis principia à ſciente, ſed ab objecto ipſo pendet. Stultum eſt ergo authorem petere, ut ipſi concedamus, quod veritas quæ in triangulo ineſt non pendeat ab ipſa natura trianguli, cum in Deo idea trianguli, hoc eſt, ipſum triangulum, tanquam objectum intellectus divini conſideratur. Certe non evidens

evidens esse quod à sola tunc intellectus divini perfectione pendeat ea veritas, puto omnes & singulos mihi concessuros: credo etiam infinitos mortales concessuros quod omnia & singula non eadem ratione in Dei intellectu & voluntate consideranda sint, qua considerari potest triangulum; nam trianguli quidem natura æternam & immobilem habet veritatem, sed non sic etiam omnia alia. Imo credo, infinitos esse etiam eruditos, qui ex naturali lumine agnoscere non possunt, Deum ab æterno omnia & singula intelligere, nedum ut ex eodem intelligant, qua ratione & quo modo rerum singulorum ideæ in ipsius intellectu existant.

§ 17. Quis ergo tam insanus erit, ut ob hujusmodi Chimæras sibi obtrudi patiatur, Deum omnia quæ scit etiam necessario velle? Dicant id illi quibus perinde est, sive eum justum sive injustum statuant, qualem se esse hic Theologus variis mihi locis indicat: qui me judice minime demonstravit, eadem necessitate, qua ex natura & perfectione divina sequitur, Deum rem aliquam ut est intelligere, ex eadem sequi Deum eandem ut est velle: Quod enim eam ut est intelligit, postulat naturæ ejus perfectio, quæ procul dubio per errorem vitiaretur, si rem aliter intelligeret, quam esset; quemadmodum item perfectio naturæ ejus, quatenus in sanctitate consistit, vitiaretur, si aliquas veritates, rerum nempe vetitarum tales existere vellet quales sunt.

§ 18. Hæc ad hypothesin ex capite 4 petitam, quam puto me ostendisse, nihil esse aliud

quam

quàm merum authoris somnium. Redeamus ab isto diverticulo in viam, id est, ad id quod in hoc sexto capite deinceps subjicit, cum dicit, *nihil nisi ex solo decreto divino necessario verum esse* (p.68. *f*) Quid audio? An non necessario verum est, ipsum Deum esse? An non necessario verum, nihil ei posse æquale dari? An illa dubia per se forent, nisi decretum Dei intervenisset? An factum etiam infectum fieri posset? Unde nos hæc magister iste docebit? Quid opus est cum aliquid est hoc, aut tale, vel tale, ut decretum Dei accedat, ne fortasse aut non hoc sit, aut non tale, vel tale quod aut quale necesse est esse, eo ipso quod vel hoc, vel tale aut tale est?

§ 19 Judicet vero lector, quam recte magister hic colligat, indidem *clarissime liquere leges naturæ universales mera esse decreta Dei, quæ ex necessitate & perfectione naturæ ipsius sequuntur:* quam perfectionem, si talem cum homine isto statuas, quæ nullam omnino arbitrii libertatem habere potest, triumphat certe: at si contra vel minimum quid libertatis hujus Deo tribuas, in fumum abeunt omnia ejus ampullata verba. Hæc latius deduxi ad primum ipsius argumentum, eo tantum, ne quid videar studio omisisse.

§ 20. Alterum addit in hæc verba (p.69.*b*.) *Idem etiam facile ex hoc posset ostendi, quod nimirum potentia naturæ sit ipsa divina potentia & virtus, divina autem potentia sit ipsissima Dei essentia: sed hoc impræsentiarum*, inquit, *libentius omitto.* Habes viri argumenta Achillea, quæ vera & clara esse persuadeat socijs suis, qui fide

implicita ipsi gratificari omnia volent: jactet apud illos, (eadem p.69. *d.*) *quod nulla sana ratio suadeat naturæ limitatam potentiam & virtutem tribuere, ejusque leges ad certa tantum, & non ad omnia, aptas statuere:* non apud alios, qui sentiunt, nullam sanam rationem suadere, ut Dei potentia ad naturæ potentiam restringatur, nisi ipsi omnem arbitrii libertatem adimas, seu quod eodem redit, nisi plane eum abneges: nam ipsius summi Dei notioni, ut liquet ex omnium gentium consensione, repugnat, eum talem statuere, ut libertatem arbitrij nullam habeat. Docet ergo sana ratio naturam non tantum legibus suis universalibus, sed & ipsi libero Dei arbitrio perpetuo subjici. Quis enim est, qui Dei potentiam ad naturæ potentiam restrinxit? Si dicat, ipsum Deum id fecisse, postulabo, ut id solidis, non nugatoriis, qualia hactenus dedit, argumentis probet.

§ 21. Ex quo simul apparet, perquam absurdum esse id, quod pro suæ sententiæ confirmatione ibidem (p.69.*e*) subjicit his verbis: *Alias enim quid aliud statuitur, quam quod Deus naturam adeo impotentem creaverit ejusque leges & regulas adeo steriles statuerit, ut sæpe de novo ei subvenire cogatur, si eam conservatam vult.* O dignum tanto philosopho argumentum, ad colligendum, quod naturæ potentia non limitata, sed infinita potius sit, si putat alioqui per ipsa miracula naturæ statum fuisse redintegrandum! Sin hoc intendit, ut mihi verisimilius fit, quod aliud Dei subsidium post singula miracula, ut quæ naturam scilicet violassent, fuisset necessarium

rium ad ejus restitutionem, ostendat, ex sententia nostra ea miracula, quæ subinde facta sunt, eam vim habuisse, ut per ea, citra novum subsidium, totus ipse naturæ ordo corrumpendus fuisset: quasi corrumpenda esset tota in universum atque in æternum omnium hominum natura, si in me uno aliquid, præter naturam eveniret. Ergo hæc novi philosophi pro naturæ conservatione sollicitudo plane supervacanea est. Addo, eo ipso quod naturæ limitatam modo potentiam & virtutem tribuamus, nihil aliud statui, quam, Dei potentiam & libertatem in ipsam naturam dominium habere: ex quo etiam porro sequitur, id quod ipsi tam videtur absurdum, vulgum sibi recte (p.67.d.) *duas potentias numero ab invicem distinctas imaginari, scilicet potentiam Dei & potentiam rerum naturalium*: quas duas auctor ipse male confundit. Quomodo enim potest eadem numero potentia esse rerum diversarum, Dei & naturæ, creatoris & creaturæ, causæ & effecti? Et cur non rectius, quam ipse, vulgus statuit, illam quidem infinitam, quod ratio protinus amplectitur, quam primum modo supremum Deum agnoscit; hanc non item; nisi doceat novus philosophus perfricta fronte, pro Deo naturam substituendam esse?

§. 22. Post terribilia hæc argumenta audi, quem sibi triumphum canat, quasi speret mox jö supremum omnes scholas acclamaturas. *Ex his clarissime sequitur*, inquit, (p 69.f. 70.a.) *nomen miraculi non nisi respective ad hominum opiniones posse intelligi, & nihil significare, quam*

opus, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus, vel saltem ipse non potest qui miraculum scribit aut narrat. At cur non potest etiam complecti, si quid fit præter naturæ ordinem? An ideo fortasse; quia ut ipse ait (p.70.*a.*) *in sacris litteris multa tanquam miracula narrentur, quorum causæ ex principiis rerum naturalium notis facile possunt explicari?* Verum, præter ista, & alia plurima sunt, ad quorum explicationem per naturales causas nemo mortalium se accingere audeat. qualia v.gr. sunt, quod Vir primus ex terra, mulier prima ex viri costa conformata est: sic &, quod è spiritu sancto sine virili congressu Dominus Jesus conceptus est & quod aquis non modo ipse inambulavit, sed & Petro idem posse largitus est, & infinita illa, quæ hominibus miraculose præstitit sanationum à morbis beneficia, & à Diaboli potestate liberationes; cui illo tempore, quo versabatur Dominus Jesus in terris, major Dei permissu potestas fuit in Israëlem, ipsius populum, quam unquam antea; ut agnosceretur is qui Satanam sub pedibus nostris deturbare poterat, cum solo verbo etiam absens eum potenter expelleret, & quibusvis corporibus, sola voluntate, nullis admotis præsidijs, integram sanitatem unico temporis momento, quod natura non potest, nihil justo & plærumque etiam longo satis spacio, restitueret. Adde, quod ipse etiam toties futurum esse prædixit, quod & evenit, ut ex vera morte in veram deinceps vitam, ad doctrinæ, quam hominibus tradiderat, confirmationem, à patre suo cœlesti revocatus

catus est. An hæc quoque sibi sumet per naturales causas explicanda hic Philosophus, an impudenter reponet, quod non potest ipse, alios forsan præstituros? An non cogetur saltem fateri, quisquis Deum aliquem agnoscit, varias simul causas naturales, subito ac præter consuetum ordinem, ad ea efficienda compulsas esse, quæ illa miracula alioqui non effecissent, nisi tunc regium Dei quoddam accessisset mandatum? At hoc ipsum miraculum nullo altero minus censeri debet. Talia vero omnino oportet ea signa fuisse, quæ certo ostenderent, Jesum à Deo esse missum ad eam doctrinam hominibus tradendam, quæ ipsos credere jubebat etiam ea quæ supra naturam sunt; quale hoc imprimis est, quod Jesus iste Nazarenus mortuos aliquando miraculose suscitaturus, ac pios æternæ vitæ præmio remuneraturus sit. Quibus quæso naturæ operibus vellet hic disputator, ipsum talem doctrinam certo confirmare? An id ausit ipse vel cogitare? Ergo relinquitur, vel nullis operibus eam, ut oportebat, demonstratam esse, aut demonstratam esse non per apparentia sed per vera miracula, id est, per talia opera, qualia noster hic philosophus negat unquam esse facta, ut totam Christi religionem destruat.

§ 23. Si excipiat, hæc omnia denique in causas mere naturales revolvi, si juxta ipsius doctrinam, quam in 4. capite proposuit statuamus, ex æterno Dei decreto naturales omnes causas ita concatenatas fuisse, licet ea concatenatio nobis sit occulta, ut quo tempore singula fiebant, miracula per causas tamen naturales (nam earum

potentiam ſtatuit illimitatam eſſe) effecta darentur. Verum aliud eſt dicere, quod cuivis promptum, aliud, quod hic poſtulamus, probare.

§ 24. Inſtare poterit, (ut p. 69. *c.*) *Quicquid ſit, id ſecundum leges & regulas, quæ æternam neceſſitatem & veritatem involvunt, fieri.* At hoc verbum, ſi penitius attendatur, per ſummam blaſphemiam etiam omnium malorum, quæ committuntur, Deum palam ſtatuit unicam eſſe cauſam. Sed ne extra quæſtionem abeam, ſi hinc argumentum petere velit, dicam, argumentum ipſa quæſtione eſſe obſcurius.

§ 25. Atque ita jam abſolvimus primum & præcipuum hujus capitis punctum, quod ipſi erat, nihil ſcilicet extra naturæ ordinem poſſe fieri: ad cujus probationem non dubito, quin omnes, qui modo aliquid vident, multo potentiores ab hoc tanto promiſſore & clariores rationes exſpectaverint. Veniamus ad alterum, in quo probandum ſuſcipit, *Nos ex miraculis nec Dei eſſentiam, nec exiſtentiam, nec providentiam poſſe intelligere, ſed contra hæc longe melius percipi ex fixo atque immutabili naturæ ordine* (p. 70. *d.*)

§ 26. Et hæc quidem explicaturus, de Dei eſſentia, quæ primo loco expedienda erat; atque oſtendendum, quanto facilius ex fixo naturæ ordine, quam ex miraculis ea intelligeretur, protinus altum agit ſilentium. Jure, ni fallor. Nam quomodo ex certo & fixo naturæ ordine inveſtigari poterit, quæ ſit ejus qui omnia moderatur eſſentia? Ego, quicquid garriant iſti grandiloqui oſtentatores, eam imperceptibilem eſſe dico, ac

nihil

nihil plane de ea constare posse, nisi quod ipse in verbo suo revelat, imo, nisi ipso præeunte, nefas esse puto in eam curiosius inquirere. Veniam ergo hanc etiam Vulgo det philosophus, ut ex miraculis non demonstrare valeant essentiam Dei, quam & ipse ut sibi non noscibilem satis vel ex fixo naturæ ordine prætermisit.

§ 27. De ejus existentia & providentia generatim sumpta, equidem non multum repugnavero, si quis eas contendat, melius ex immutabili naturæ ordine, quam ex miraculis percipi; cum ad eas agnoscendas non ad hæc, sed ad ipsum naturæ ordinem etiam Scriptura nos remittat; ut liquet, si quis cum attentione legat Actor. cap. 14. & 17. item 1. ad Rom. Et quis est qui considerato illo, undique tam pleno sapientiæ opere ac regimine mundi, non præsentem Deum vel ex minimis etiam quibusque creaturis agnoscat, quarum singulæ tam manifesta exhibent divinitatis specimina, ut quemvis attentum rimatorem in tantum stuporem adigant, ut fateri cogatur, se eas ne admirari quidem satis unquam posse: ac mox agnoscere, vel natura ipsa duce, si aliquem earum numerum consideret, eum qui talia potest omnia posse? Quis item non lubens admittat, Dei providentiam, quæ omnes curat, rectius ex eo colligi, quod cum naturæ ordinem instituit, quo per omnia sæcula omnes nutriantur, quam ex eo quod Israëlitas manna per annos quadraginta in deserto olim paverit? Ut ne dicam, quod multa miracula non ad integros populos, sed ad paucos tantum homines seorsim

pertinuerunt. Non eſt quod hic multum litigemus.

§ 28. Sed quis concedet Sophiſtæ, nec ejus exiſtentiam nec providentiam ex ijs nos poſſe agnoſcere? Concedo ſanè nuſquam Scripturam, nec Veteris nec Novi Teſtamenti, quod ſciam, ullum memorare miraculum eſſe factum, ad probandum hoc ipſum quod Deus aliquis exiſtat: nam alij fuerunt miraculorum fines: fateor item, neſcire me, quibus in oris illud vulgus inveniatur, quod ſupra dixit exiſtimare, ex nulla re clarius exiſtentiam Dei probari poſſe, quam ex miraculis, ſed probari eam ſane ex ijs poſſe apparet, ſi vel minimum quid de ipſo docere poſſunt; id quod non poſſent, niſi ipſe exiſteret.

§ 29. Prævidit fortaſſe, id ſibi objiciendum, eoque ut anteveniat eam exceptionem, dicit (p.71.d.) *Ex opere, & abſolute ex eo, quod noſtrum captum ſuperat, nos intelligere nihil poſſe:* ut ingenioſé mox colligat, *Ex miraculo ſive opere quod noſtrum captum ſuperat, nec Dei eſſentiam, nec exiſtentiam, nec abſolute aliquid de Deo intelligere nos poſſe.* Ac quis non videt, hanc eſſe captionem, & luſum puerilem? Nam etſi meum ſuperet captum, quæ ſit proxima & neceſſaria miraculi cauſa, non ſuperat tamen captum meum, quod ipſum illud ab aliqua pendeat cauſa. Si ergo pendet à Deo, quod eſt neceſſe, cum ex hypotheſi & mea & ipſius non pendeat à naturæ ordinario curſu, an non ſole clarius mihi ſequitur ex tali miraculo, habere Deum potentiam faciendi aliquid vel extra, vel ſupra, vel contra naturam?

turam? Id quod non eſt niſi ejus qui ſuperior ipſa natura ſit.

§ 30. Scio, ipſum hic poſſe regerere id quod ſcribit (p.72.*b.*) *Cum miraculum opus limitatum ſit, nec unquam niſi certam & limitatam potentiam exprimat*, (ut ſuaviter lepideque nugatur) *certum eſt nos ex tali effectu non poſſe concludere exiſtentiam cauſæ, cujus potentia ſit infinita.* Eodem argumento liceat ipſi divinæ potentiæ infinitatem irridere, quotieſcunque demonſtratur per creaturas, quæ ipſæ ſingulæ non minus quoque limitatæ ſunt, quam miracula. Quæſo oſtendat mihi ipſe vel ex Sole omnium creaturarum, ut videtur, præſtantiſſima, imo ex omnibus omnino creaturis ſimul ſumptis, divinæ potentiæ infinitatem, ſi tam præfractus eſſe velim, quam ipſe eſt. Non poterit. Cur ergo non me poſſit miraculum etiam convincere de Dei, ſeu de ejus qui naturæ legibus non adſtringitur, exiſtantia?

§ 31. Cur non item de providentia Dei erga eos, in quorum gratiam miracula ipſa edidit? Loquor enim jam de particulari Dei providentia, non de generali illa, quam adverſarius tam magnifice aliquanto poſt extollit, *qua totius* inquit *naturæ rationem habet* (p.74.*b.*) oblitus etiam particularem illam nobis eſſe conſiderandã, quam ſolam miracula docere, dicuntur: de qua ſola nunc illi agendum eſſet. Nam quid iniquius, quam ipſum affingere nobis, quod urgeamus, miracula extraordinaria docere illam Dei providentiam, qua tota rerum ordinaria natura

 diri-

dirigitur. At ſtulte ab ipſo ita colligitur, non docent miracula, per Dei providentiam totius naturæ rationem haberi; Ergo nihil de ejus providentia docere poſſunt. Quin contra & exiſten-ſtentiam & providentiam ejus inquam ſolide poſſunt docere, *non modo quatenus opera ſunt, quæ hominum captum ſuperant aut ſuperare creduntur, verum etiam quatenus ſupponerentur* ut ipſius verbis utar (ex p.72. *d*) *ordinem naturæ deſtruere, ſive interrumpere, aut ejus legibus repugnare*, quamvis ibidem jactet, ſe demonſtrare, *quod eatenus non tantum nullam Dei cognitionem dare poſſent, ſed contra illam quam naturaliter habemus adimerent, & nos de Deo & omnibus dubitare facerent.* Credo, ipſum eos ſolos reſpicere, cum ſic loquitur, qui ſupponunt, quod Dei eſſentia nihil poſſit eſſe aliud, quam ipſius naturæ potentia, ut ſupra dixit, aut *qui* ſaltem *naturæ ordinem* . eodem modo quo ipſe vult, *fixum atque immutabilem ex Dei decretis concipiunt* (p.72.*f.*) ſed alijs, qui juſtam in Dei voluntate libertatem, ejuſque in creaturas dominium agnoſcunt, mera ſtultitia eſt nova hæc philoſophi ſapientia.

§ 32. Is vero, antequam ad tertiam quæſtionem procedat, *hanc ſuam ſententiam, nempe quod ex miraculis Deum non poſſumus cognoſcere* (p. 73.*b.*) *ipſa quoque auctoritate Scripturæ confirmare aggreditur.* Ego dico, niſi miracula cenſuiſſent Chriſtus & Apoſtoli idonea ad veram & ſalutatem Dei cognitionem hominibus ingenerandam, non tam ſæpe ijs fuiſſe uſuros, vel ad ea

pro-

provocaturos. Manifestæ igitur Scripturæ obloquitur novus philosophus, qui quamvis profiteatur ipse ibidem, *Scripturam hoc nullibi aperte docere, facile tamen ait ex ipsa id concludi posse, imprimis ex eo, quod Moses Deut. cap. 13. præcipit, ut prophetam seductorem, quamvis faciat miracula, mortis tamen damnent &c. Ex quibus clare sequitur*, inquit, *miracula etiam a falsis prophetis posse fieri, & homines, nisi Dei vera cognitione & amore probe sint muniti, æque facile ex miraculis falsos Deos, ac verum posse amplecti.* Hoc præsupponit magister, permittere Dei sapientiam & æquitatem posse, ut nec pauciora numero, nec minora virtute miracula faciant falsi prophetæ aut doctores, quam ea vel omnia simul sumpta fuerunt, quibus aut prius Israëlitarum, aut posterius Christianorum religio confirmata fuit, ne excluso quidem eo miraculo, cujus simile ab orbe condito non auditum est, ut quis ei qui cœcus à nativitate esset, visum restitueret; neque ijs, quibus vere mortui restituti sunt in veram vitam, cum doceat nos sacra Scriptura, talia tantum ab alijs illis aliquando fieri posse, quibus seducantur homines, qui amorem veritatis, qua salvarentur, recipere noluerunt. Seducuntur levibus, ij tantum, quibus leves sunt animi. Quod & ipse, etsi dissimulanter fatetur cum ab hoc periculo eximit homines vera Dei cognitione & amore probe munitos. Sed non opus ei erat tam sollicita cautione: requirebatur tantum, ut ostenderet, ob falsorum prophetarum miracula eos etiam, qui res æqua rationis lance tantum perpendere vel-

lent, in eodem versari seductionis periculo, cum nondum eam Dei cognitionem habent ad quam eos adspirare oportet. Si locum illum Deut. 13. bene attendisset, agnovisset facile, in eo sermonem institui ad eos, quibus nulla justa causa esse poterat, ob unum aliquod prædictionis miraculum a vero Deo, qui se ipsis tam abunde patefecerat, deficiendi: vidisset etiam, ex eo textu posse patere, si quid tale Deus pateretur evenire, passurum ideo tantum fuisse, quod ipsi veritatis amorem non digne recepissent, atque ideo in eam incidere tentationem essent meriti. Quod si vero etiam hoc loco per veram Dei cognitionem eam intelligit, quam supra nobis depinxit (p.72.l.1. & 2.) de qua etiam infra erit aliquid dicendum, dico, eum insignem lectori suo fucum facere, (nam is hic proculdubio salutarem cognitionem, de qua jam agimus meditatur:) adde quoque aperte falsum esse, id quod ibi a Mose dicitur, *Dominus Deus vester vos tentat, ut sciat, num eum ametis integro corde vestro & animo vestro* Deut. 13. v. 3. ad eos dirigi, qui philosophicam illam Dei cognitionem habent, aut habere debent.

§ 33. Audivimus primum & primarium argumentum: sequitur secundum, *quod Israëlitæ ex tot miraculis nullum de Deo sanum conceptum formare potuerunt, quod ipsa experientia testata est*, inquit (p.73.*e.f.*) *Nam, cum sibi persuaderent, Mosen ab ijs abiisse, numina visibilia ab Aharone petierunt, & vitulus, proh pudor! eorum Dei fuit idea, quam tandem ex tot miraculis formaverunt.* Ego contra, quamvis dicere possem, stul-

tum mihi videri argumentum, cum ſic colligit, Non formaverunt ſibi ullum de Deo ex tot miraculis ſanum conceptum, ergo nullum ſibi inde formare potuerunt; tamen hoc omiſſo dicam, eos optime intellexiſſe, illum Deum ſolum, qui Moſen ad ipſos miſerat, ex Ægypto ſe eduxiſſe: cum tamen is nondum ſe ſub ulla imagine coli vetuiſſet, Moſe digreſſo, ab Aharone petijſſe, ut viſibilem ſibi aliquam ejus colendi figuram proponeret, adoraturi quamcumque is effingeret. Non ergo ex miraculis illis vituli ideam ſibi formaverunt, ſed ſtatuæ formandæ auctoritatem Aharoni ſoli permiſerunt. Cur jam ergo non ſtatuit potius hic philoſophus, cum Moſen diſceſſiſſe putarent, eos lapſos fuiſſe ad illam inſaniam, ad quam ipſe ſophiſta, tanquam ad ſummam ſapientiam, omnes homines hortatur, (quanquam graviter ea de cauſa deinceps puniti fuerunt Iſraëlitæ,) ut judicarent, quod Dei externus is eſſet cultus, ab uno quoque, quamtumvis eum minus etiam in animo ſuo probaret, exercendus, imo vel contra propriam conſcientiam, quem princeps injungere vellet? Qua de re ſi quis plenius impiam Theologico, ſeu Atheopolitici, ſententiam cognoſcere velit, legat modo libri ipſius Caput. 19. ibi videbit, me ipſum ſuis hic depingere coloribus, ac nullo alio quam ſuo ipſius jugulare gladio. Licebat ergo Iſraëlitis, Moſe amiſſo, cui jure putabant ſuccedere Aharonem, ſecundum hujus magiſtri hypotheſes vitulum iſtum in veri Dei honorem colere. Nec video cur ipſum hujus ipſorum facti tali tempore pudere

debuiſſet: quin ſi vixiſſet inter ipſos, chorum, puto, duxiſſet procul omni dubio.

§ 34. Tertium argumentum: *Aſaph quamvis tot miracula audiviſſet, de Dei providentia tamen dubitavit* (p.73.*f*.) Reſpondeo, neminem docere, viſa, nedum audita modo, miracula pietatem & fidem de Dei providentia hominibus inſundere potuiſſe. Fatendum eſt, eos etiam, qui de miraculis nulli dubitabant, in ejuſmodi tentationes aliquando potuiſſe incidere; eo quod plurima ad demonſtrandam illam erga ſingulos providentiam parum admodum, aut etiam nihil omnino, faciebant: ſed tamen ijdem illi, ubi verbum Dei per omnia ſerio attendunt, eas tentationes ſuperare poſſunt & ſolent, ſi cum Aſapho ingrediantur & ipſi ſanctuaria Dei, & conſiderent impiorum noviſſima, ut in illo ipſo Pſalmo 73. v. 11. Aſaph idem teſtatur. Tunc ergo etiam per miracula in ipſa illa fide providentiæ divinæ confirmantur: nam & ea jubet Sacra Scriptura ad ejus fidei confirmationem attendi. Quod nec mirum, cum appareat ex ijs quædam impiorum noviſſima etiam quaſi ad oculum demonſtraſſe; qualia fuerunt, Diluvium veteris mundi, Sodomæ & vicinarum urbium interitus, Pharaonis cum exercitu ſubmerſio, Choræi, Dathanis, & Abironis cum ſuis pet terræ hiatum abſorptio, & alia nonnulla, quæ judicem Deum hominibus propoſuerunt. Quid minus ergo demonſtrat hoc argumentum, quam Deum aut ejus providentiam ex miraculis non poſſe agnoſci?

§ 35. Se-

§ 35. Sequitur quartum, nam numero argumentorum pugnare amat hic miles, de eorum pondere parum sollicitus: *Salomon etiam,* inquit (p. 73. *f.*) *cujus tempore res Judæorum in summo vigore erant, suspicatur, omnia casu contingere. Vide Eccles. cap.* 3, *v.* 19. 20. 21. *& cap.* 9. *v.* 23. *&c.* Multi, credo, istis locis existimabunt, Salomonem alios potius temere ex rerum successibus judicantes, quam se ipsum, designare: verum sive hoc, sive illud statuatur, quid facit ad concludendum, quod ne attentus quidem veritatis inquisitor ex miraculis aliquid boni haurire possit, ut ex iis cum Salomone eodem inferat, quod omne opus Deus adducet in judicium, super omni occulto, sive bonum sit, sive malum? Eccles. cap. ult. v. ult. Probabilius est, Salomonem id ex miraculis aut doctrina Prophetarum per miracula confirmata, intellexisse, quam ex fixo naturæ ordine vel ex notionibus universalibus & communibus, atque à natura notis.

§ 36. Restat ultimum, quod sic proponitur (pag. 73. *f.* 74. *a.*) *Denique omnibus fere Prophetis hoc ipsum valde obscurum fuit, nempe quomodo ordo naturæ & hominum eventus, cum conceptu, quem de Dei providentia formaverant, possent convenire.* At non opus erat, eos hoc intelligere: sufficiebat, fidem de Dei providentia eos habere, & in ejusdem sapientia acquiescere; ut & nos oportet, exspectantes, ut quæ occulta sunt suo tempore, ubi opus erit, in lucem protrahantur. Constitit illis de veritate istius providentiæ

tiæ ex ipsa veræ religionis confirmata doctrina, inde à primis patriarchis per manus tradita; quam liquet ex cap. 11. ad Hebræos tam potentem fuisse in ipsorum animis, ut per fidem, tanquam peregrini in terris vixerint, aliam quærentes civitatem, qua post hujus vitæ spacium decursum æterna potirentur.

§ 37. Nullam habent ergo Philosophi argumenta vim ad probandum, quod ex miraculis nulla Dei cognitio haberi possit; imprimis si attendatur, *quod in ipsa Scriptura sæpe reperitur*, ipso hoc quoque autore id monente (pag. 74. *c.*) *Deum portenta fecisse, ut hominibus innotesceret* &c. *& signa sui dedisse, ut Israëlitæ cognoscerent, eum esse Deum.* Hæc vero istum hominem non movent. Scripturæ auctoritati suam opponit confidentiam. Nam *inde*, inquit, *non sequitur, miracula id revera docere, sed tantum sequitur, Judæos tales habuisse opiniones, ut facile ijs, miraculis convinci possent.* Respondeo, probare ipsum debuisse, quod ex eo non utrumque simul sequatur; nempe & voluisse Deum, (nisi simulatorem eum fingas) id quod se voluisse dicit, ut Israëlitæ per hæc eum cognoscerent, tum & eum per hæc ipsa summam sui cognoscendi ipsis opportunitatem præbuisse, vel eo ipso quod tales opiniones haberent, vel etiam quavis alia de causa.

§ 38. Verum quicquid illa miracula potuerint, *non tamen*, inquit (p. 74. *e*) *veram Dei ideam & cognitionem dare poterant, sed tantum facerent concederent, dari numen omnibus rebus*

ijs

ijs notis potentius. Non tantum ut concederent, ô bone, ſed etiam ut id intelligerent, quantum quidem ea res certo intelligi poterat. Et cur non etiam eadem opera, quod Deus ipſos ad legis ſuæ obedientiam ijs promiſſionibus invitabat, de quibus conſequendis, ſi obedirent, nullam poterant habere dubitandi cauſam? Tam certa erant hæc omnia, ut certitudo major nulla jure poſſet poſtulari. Quod de vera Dei idea excipit, nil niſi nugas agit, cum per eam aliud nil videatur intelligere, quam ut ſupra ſcripſit (p.71. *e.f.*) *nos eo melius Deum, deique voluntatem cognoſcere, quo melius res naturales cognoſcimus.* Hæc eſt iſti homini Dei cognitio: nam ſalutarem illam, de qua ſacræ litteræ loquuntur, qua Dei à nobis præſtanda voluntas attenditur, ne per ſomnium quidem apparet eum unquam vidiſſe.

§ 39. Prius quam pergamus, digreſſiuncula nobis hic utendum eſt ad examinandam rationem illam, qua (in eadem hac pagina 74. *d.*) utitur homo ad probandum, ſequi tantum ex miraculorum commendatione in Scripturis aliquoties repetita, Judæos tales opiniones habuiſſe; rationem nullo certe dignam ampliore reſponſo, niſi quo ipſius improbitas retundatur: hæc ſunt ejus verba: *Supra enim in capite ſecundo clare oſtendimus, rationes propheticas, ſive quæ ex revelatione formantur, non elici ex notionibus univerſalibus & communibus, ſed ex conceſſis, quamvis abſurdis, & opinionibus eorum, quibus res revelantur, ſive quos Spiritus convincere vult, quod multis exemplis illuſtravimus, & etiam*

etiam testimonio Pauli, qui cum Græcis erat Græcus & cum Judæis Judæus. Quis non videt vel stulte admodum, vel pessima fide, ad Pauli exemplum provocari, ut ostendatur Prophetas argumentatos esse ex concessis eorum, cum quibus rem habebant, opinionibus ad eos convincendos. Fungos putat esse lectores omnes, cum iis talia molitur obtrudere, quæ nunquam credent ipsum ex animo sentire.

§ 40. Sed non mirandum est, irrisorem scripturæ eam ludibrio habere. Id apparet ex aliis item exemplis; & quibus nunc duo mihi occurrunt non prætereunda. Unum est ex capite ipsius 5: p. 57. Ubi verba illa Esaiæ, quæ leguntur cap. 58. vers. 8. Tunc erumpet sicut aurora lux tua, & tua sanitas protinus efflorescet, & ibit ante te justitia tua, & gloria Dei te aggregabit, illustrat hac annotatiuncula, post finitam paginam addita, ad illa postrema, gloria Dei te aggregabit. *Hebraismus est* inquit *quo tempus mortis significatur, aggregari ad populos suos, mori significat, vide Genes. Cap. 49. vers* 29. 33. Quasi legendum sit, Deus te aggregabit ad patres, aut ad populos tuos. At quærendum est hic tantum quid id sit quod dicitur Dei gloria aliquem collectura. Omnibus hominibus moriendum est aliquando: an ideo gloria Dei omnes aggregabit? Ipse hoc ipso in loco dixit, Esaiam in hisce verbis, damnata hypocrisi, & libertate (legendum est ibi fortasse liberalitate & charitate erga se & proximum commendata, pro his præmia promittere. Mors si in se ipsa consideretur, pœna est, non præmium; aut si præmium,

non

non majus tibi præmium est Sophista in homine pio, quam in impio: Si id vis, quod te velle existimare cogor, aut quod omnium animarum rationalium essentia, si ea corporibus superstes sit, pari modo in ipsam Dei essentiam migret, aut ridendos esse omnes qui quid post hanc vitam sperant, cum ipsę evanescant. Verum cur illud gloria Dei te colliget (cum colligere perse positum nusquam significet vitam adimere) eam tamen significationem hic postulat. Manifeste aliud nihil id sibi vult, quam, Tunc gloria Dei decoraberis: idque in hac vita, ut immediate addita verba vers 9. palam faciunt, Tunc invocabis, inquit, & Deus exaudiet te &c. Frustra sperat Sophista fortasse eo quod alibi gloriatur de Hebraicæ linguæ peritia, satis ignaris fore, quod locum eum pro auctoritate sua sic exponat.

§ 41. Alterum est ex cap. 3. (Pag. præcipue 38) Ubi Balaamum, stulte quidem meo judicio, miris extollit laudibus; primum eo quod Balaacus his ad eum usus sit verbis, *Scio enim cui benedices benedictum, & cui maledices maledictum fore.* Quis hinc sequi videat, etiamsi vel Deus ipse (Non Balac, qui, ut homo, errare potuit, aut hoc etiam solum forte spectare voluit, ut subditis suis animus ad arma tractanda major adderetur, Si Balaamum ad maledicendum Israelitis, vel per mendacem adulationem, si ita opus fuisset sic inducere potuisset) Sed & si ipse Deus, inquam, ea verba ad Balaamum locutus esset; quis hinc sequi videat, quod Balaam eandem virtutem habuerit, quam Deus Genes. c. 12. vers. 3. Abrahamo largi-

largitus est? Sic enim loquitur noster (pag. 38 *a.*) Dico ego, talem virtutem Abrahamo ibi non adscribi, quod benedicti, aut maledicti essent, quibus is aut bene aut malediceret; Sed de solo favore, quo ob pietatem Deus Patriarcham illum complexus est, ibi agi: Benedicam, inquit, benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam, & benedicentur in te omnes familiæ terræ. Quid simile est in hoc Propheta Balaamo, homine certe impijssimo, ex quo tempore ei merces iniquitatis ampla oblata fuit, qualiscunque ejus vita antea fortasse fuerit?

§ 42. Et quid magis a veritate alienum fingi potest, quam id quod (ibid. *c.d.*) garrit Sophista, habuisse eum id quod præcipue Prophetas de Prophetiæ veritate certos reddebat, nempe animum ad solum æquum & bonum inclinatum? Quod diserte repugnat sacræ Scripturæ. Nam ut nunc prætercam, temere illud dici, quod nihil prophetas de divinitate suarum revelationum magis potuerit erudire, quam ipsorum animus ad æquum & bonum propensus, nam id manifeste falsum apparet ex Christi testimonio Matt. 7. cum loquitur de Prophetis iniquitatem operantibus: dico si non alios veros Prophetas dici volumus, quam eos quibus injunctum fuit, ut Dei nomine aliquid aliis annunciarent, (quales proprie veros fuisse Prophetas equidem existimo) nullus eorum unquam dubitasse invenietur, an a Deo, an aliunde mandatum illud suum accepisset, adeo ut sine ulla causa fingatur, eos certitudinem illam aliunde habuisse quam ex ipso Dei afflatu; sicut

& fin-

& fingitur ab ipſo (p. 17. *f.*) quamvis Scriptura non ſemper Signi, quo de divinitate revelationis ſuæ certi facti ſunt, mentionem faciat, tamen credibile eſſe eos præter revelationem ſemper ſignum quoque habuiſſe aliud. Oſtendendum erat, eos, poſt Dei afflatum, tamen adhuc juſtam dubitandi cauſam habere an Deus eſſet, qui ſeſe afflaret, an non. Dico de eo quod Prophetis mandatum fuit aliis enunciare, nullum ipſorum unquam dubitaſſe, nec ſignum pro confirmatione petiviſſe.

§ 43. Sed, hoc omiſſo, falſum eſſe dico Balaamum ad bonum & æquum propenſo fuiſſe animo. Legatur enim modo hiſtoria ipſa Numerorum cap. 23. apparebit, Deum ipſi diſerte ſignificaſſe, ne cum iis qui ad ſe venerant iret ad maledicendum Iſraeliticum populum, quia is benedictus erat. Quam Dei voluntatem licet probe ſciret, tamen, cum ab aliis legatis major iniquitatis merces ad iis maledicendum promitteretur, Deum tentavit, ut liceret ad Balaacum ire, ad ei quantumcunque poſſet gratificandum. Ubi tunc fuit animus ille ad ſolum æquum & bonum intentus? & nihilo minus eo ipſo tempore reſponſum divinum ei datum eſt, de cujus divinitate etiam certus fuit, atque intellexit a Deo permitti ſibi, ut proficiſceretur ad legatorum petitionem, ſi vellet, modo nihil aliud proferret, quam quod ei Deus loqueretur.

§ 44. At in itinere, vel eo quod jam Deum impie tentaſſet, vel quod ex avaritia animo propendebat ad maledictionem a Deo vetitam, in illud

mortis

mortis discrimen adductus est, ex quo vidit se & certo & mala morte fore mulctandum, si quid loqueretur aliter quam Deus ei revelaret. Adeo ut benedixerit quidem Israelitis, non tam ex animi sincera obedientia, quam ex necessitate supplicii evitandi, quia aut animum non ad solum bonum & æquum, sed ad Israelitis contra Dei mandatum maledicendum retinebat, ut ex eo apparet, quod variis modis periculum fecit per sacrificia, an aliquid maledictonis adversus eos obtinere posset, quamvis ignorare vix poterat, Deum non tam esse mutabilem, quam sunt homines; aut habebat animum certe fallendi Regem Moabiticum, ut iniquitatis mercedem, si non ex toto, ex parte saltem consequeretur, cum per ipsum in speciem quidem non stetisset, quo minus Balac voto suo esset potitus.

§ 45. An major impietas dari possit ego non video; cum ergo nemo ex tam sancto repente mutetur in scelestissimum, merito in gravissimam suspicionem trahitur etiam vitæ ejus antecedentis aliquanta pars: quicquid ei philosophus noster, jam causidicum agens, per omnia patrocinetur. Nam quod Deus ei, dum erat in itinere, fuerit iratus, id etiam Mosi, inquit], dum in Ægyptum ex Dei mandato proficiscebatur, contigit. Vide Exodi c. 4. vers 24. (p. 38. *d. e.*) Quasi permissio, quam obtinuit Balaam, cum mandato quod Mosi fuit a Deo impositum, possit conferri; & quasi similis utrobique irascendi causa fuerit. Peccavit Moses, quod negligens fuerit ad filium suum circumcidendum; non quod paratus ad mercedem iniqui-

iniquitatis, si ullo modo licuisset, demerendam. At Balaam ipso dono suæ Prophetiæ conatus est abuti. Nihil tale in Mose invenitur. Sic & lepide ejus detestanda auri fames his verbis (ibidem e) excusatur ab hoc causidico: nam quod argentum ad prophetandum accipiebat, idem Samuel faciebat, inquit. Vide 1 Sam. 9. vers. 2. 8. Quasi Samuel etiam mercedem iniquitatis unquam approbaverit, aut animum habuerit ad maledicendum iis, quos a Deo ipso benedicendos esse didicisset, aut consilium Balaaco alicui dederit Dei populum ad idololatriam & scortationem seducendi, quo in maledictionem Dei tamen quacunque ratione præcipitarentur. Hæc minuta sunt Philosopho isti. *Nam & si in aliqua re peccavit* (*de eo vide 2 Pet. 2. vers* 15. 16. *Judæ vers* 11.) *nemo adeo æquus*, inquit, *qui bene semper agat, & nunquam peccet*. Quasi nullum in eo Petrus & Judas peccatum nisi leve aut vulgare notent.

§ 46. O! Sanctum virum quem pro clausula addit Sophista sine dubio Deo acceptissimum fuisse, nam impiorum orationes & maledicta, inquit, Deum minime movent. Hic loquitur Philosophus perinde ac si putaret, cum Balaaco, benedixisse ac maledixisse Balaamum quibus ipse volebat. Oblitus se in eadem pagina contrarium dixisse. Non enim cui ipse volebat, dixit, benedicebat, nec cui volebat, maledicebat, ut Balac putabat. At ego an semper id ille observaverit, non video unde nobis certo constare possit. His adhuc aliud subnectit Sophista ineptissimum argumentum ad probandam Balaami sanctitatem, quod

quod sæpius in Scriptura reperiatur, ad Dei magnam misericordiam erga Israëlitas testandum, quod Deus Balaamum noluerit audire, & ab eo imminentem maledictionem in benedictionem converterit. Vide inquit, Deut 23:6. Jos. 24:10. Nehemiæ 13:2. At facile intelligi id potest, etiamsi nulla in Balaamo sanctitas agnoscatur, qualiscunque ille antea fuerit, Israëlitæ meriti erant eo tempore maledictionem! cujus etiā fortasse horrore, seu tunc seu aliquanto post non parum fuerant perculsi. Merito ergo magnæ Dei misericordiæ hic favor adscribitur. Quare nihil stultius, quam hæc authoris verba quæ protinus pro clausula subjungit. *Quare sine dubio Deo acceptissimus erat, nam impiorum orationes & maledicta Deum minime movent.* Imo vero ex his Scripturæ testimoniis colligitur, & demonstratur, impium fuisse Balaamum, cujus orationem Deus exaudire noluit, & cujus animo conceptam maledictionem in benedictionem convertit, quia impiorum orationes & maledicta Deum minime movent. Prophetandi donum Deus ei non abstulit, sed scelestam linguam compressit.

§ 47. Et hæc obiter dicta sunto, ut intelligat Lector, quam parum accurate & sincere hic Philosophus Scripturas alleget. Quod non aliunde evidentius apparere potest, quam ex hoc ipso loco, in quo (pag. 74. *d.*) ad secundum caput suum provocat, ac gloriatur *se clare ostendisse propheticas rationes, seu quæ ex revelatione a Prophetis formatæ fuerunt, non elicitas fuisse ex notionibus universalibus & communibus, sed*

ex

ex concessis quamvis absurdis, & opinionibus eorum quibus res revelabantur, addito, *sive quos spiritus sanctus revincere volebat:* ad quod posterius membrum, ut videtur, evincendum *id quoque ipsum se non modo ibi multis exemplis illustrasse affirmat, sed & testimonio etiam Pauli, qui cum Judæis Judæus erat, & cum Græcis Græcus.* Quæ verba ego & malitiæ & mendacii plena esse dico. Nã etsi prophetæ aliquando ad eos, quos Spiritus Sanctus revincere volebat, argumentis ad hominem, ut in Scholis loquimur, essent usi, ex concessis scilicet eorum opinionibus, etiam absurdis, quod omnes recte fieri posse intelligunt, quid iniquius quam auctorem ex eo colligere, ipsorum rationes quas formaverunt, tunc etiam cum res aliud fieri postulabat, ex notionibus universalibus & communibus non elicitas fuisse? Non potest non ubique omnia hic homo in pejorem partem rapere. Sed aliud quid puto hic latet. Dicit in illo secundo capite, Deum voluntatem suam Prophetis revelasse aut verbis aut signis seorsim, aut utrisque simul junctis; & tamen urget ibidem satis prolixe, non potuisse ipsum Prophetis eam revelare, nisi si ea cum ipsorum corporis temperamento conveniret: perinde ac si quis dicat, me nec verbis nec signis nec utrisque etiam junctis cuiquam mentem meam aperire posse ab ejus corporea constitutione diversam: eoque &, quasi omnium & singulorum Prophetarum fuisset noster hic homo medicus cubicularius, singulorum temperamenta exacte, sine mendacio, si credere ipsi velis, describit, ut intelligas, eos quo-

rum erat læta complexio læta, & quorum tristis tristia, & sic alios itidem pro sua quemque natura, consuetudine, opinione alia atque alia prophetasse: nam supponit in manu Dei non fuisse, neque ut iis satis clara vel verba enunciaret, vel signa exhiberet, neque ut subito, si necessarium erat, temperamenti ipsorum constitutionem immutaret: hæc scilicet extra divinæ potentiæ limites erant. Talia sunt quæ per totum illud caput agit, in quo profitetur (pag. 16.*a.b.*) Se ostensurum, prophetias variavisse, non tantum pro ratione imaginationis, & temperamenti corporis cujusque prophetæ, sed etiam pro ratione opinionum, quibus fuerant imbuti: ita suspectas reddere conatur prophetias, quasi ex ipsorum hominum cerebro depromptæ fuerint, eoque errorum plenæ. At de eorum imaginationibus, temperamentis, aut opinionibus, cum quibus prophetæ rem habebant, aut quos Spiritus sanctus convincere volebat, in toto illo capite nullum invenio verbum. Sic & nullum in eodem comparet Pauli de ulla re testimonium, ac ne id quidem ibi invenies quod is & Judæis & Gentibus se accommodabat: nihil aliud de Paulo inest, præter hæc verba, quibus eum (p. 28.*d.*) quibusdam Prophetis contraria scilicet docentem introducit: *At Paulus contra,* inquit, *nihil apertius docet, quam quod homines nullum imperium, nisi ex Dei singulari vocatione & gratia in carnis tentationes habent. Vide epistolam ad Romanos cap. 9. ex versu 10 &c. Et quod cap. 3. v 5. & c. 6. v. 19. Ubi Deo justitiam tribuit, se corrigit quod humano*

ut more sic loquatur, & propter carnis imbecillitatem. En viri fidem.

§ 48. Errores quoque duo hic insunt, quanquam eos prolixius persequi non liquet. Unus, quod sic inter se pugnare putat sanctos Prophetas & Apostolos, ut ipsorum dicta nullo respectu vere conciliari possint. Alter, quod putet Paulum ad Rom. c.9. Libertatem arbitrii humani negare, cum ejus mens non alia sit, quam hæc, quod Deus neglectis antecedentibus, seu bonis seu malis hominum operibus, pro] mero beneplacito suo, aliam ex Evangelio per Apostolos docebat viam salutis obtinendæ, ab ea, quam hactenus Judæi agnoverant, atque ita repudiatis Judæis infidelibus alium sibi Israëlem, seu Ecclesiam vellet eligere, quæ per Evangelii fidem salutem consequeretur: sic ut Dei gratia in hoc ipso consisteret, quod hominibus omnibus, Col. 1. 28. proponeret bonum, quod esset ab ipsis, ut liberum habentibus arbitrium, eligendum: tantum abest ut eos velut automata quædam, quo ipse volebat, impelleret.

§ 49. Subsistamus iterum adhuc non nihil ad contemplandam illam gloriationem, qua lumen suæ philosophiæ, ad agnoscendam Dei providentiam, supra omnium prophetarum doctrinam extollit; cum ait (pag. 74.a.) *quod illis valde obscurum fuit, id philosophis, qui non ex miraculis, sed ex claris conceptibus res conantur intelligere, semper admodum clarum fuisse;* sicut & proxime (pag. 73.f.) dixerat, *Asaphum de providentia dubitasse, & a recta via fere deflexurum*

 fuisse,

fuisse, nisi tandem veram beatitudinem intellexisset; id est, (si credere velis philosopho sic Asaphi verba studio immutanti, ut eo sensu quo sunt ab illo dicta intelligi non possint,) nisi ad philosophos se applicuisset.

§ 50. Quosnam vero? Jam eos tibi descripsit ex parte: ut qui non ex promisso miraculosæ ex mortuis resurrectionis, & æternæ vitæ subsecuturo præmio, beatitudinem metiuntur. Nam ista miracula omnia viro huic ipsum Deum tollerent. Unde ergo? Id te docet altera descriptionis philosophorum suorum parte, cum eos ita depingit, *quod fælicitatem in sola virtute & tranquillitate animi constituant*, id est, ut superiori capite pluribus verbis est prosecutus, quod nullum aliud virtutis præmium, quam ipsam virrutem, nec improbitatis aliud supplicium, quam ipsam malorum hominum stultitiam agnoscant. Quibus philosophis indicat illam animi trranquillitatem existere ex eo, quod *certe sciunt, Deum naturam dirigere prout ejus leges universales, non autem prout humanæ naturæ particulares leges exigunt, adeoque Deum non solius humani generis, sed totius naturæ rationem habere.* Non video, quid hæc ad providentiam Dei circa singulos, atque imprimis pios, quæ prophetis nonnunquam obscura visa est, statuendam, conferant. Falsum igitur est, hinc clarum evadere philosophis, quod prophetis obscurum fuit. Dubito vero an non velit potius suis philosophis animi tranquillitatem petendam esse ex ipsa providentiæ illius particularis negatione: Deum quippe universalia, non singularia curare,

aut

aut si etiam singularia, omnia ipsum eodem ordine habere; etsi in superioribus alicubi asseruit Magister noster, probos ac pios ei esse gratissimos, impios vero displicere], illosque eo nomine beatos, hos necessario miseros esse. Novi itaque hi sunt philosophi, qui cum hoc homine censent, si credere licet, ipsum ex animo ita censere, quod probi non possint non esse omnium mortalium beatissimi, quantumvis infelices videantur: improbi vero omnium semper miserrimi, quantumvis omnibus votis & optatis rerum successibus sine fine potiantur. Nam Apostolorum quidem sententia, nos omnium esse miserrimos, si in hac solum vita in Deum speramus, huic sectæ palam falsa est, ne ulla miracula scilicet admittantur. Quæ nos contra tam multa esse edita didicimus, ad religionem, quam docuit Christus, ac nominatim ipsius è morte excitationem, in signum etiam nostræ resurrectionis suo tempore secuturæ, confirmandam; quæ & non temere, sed post accurata demum examina credita, & per orbem terrarum a pijssimis mortalibus annunciata fuerunt; ut dicendum sit, si hac in parte homines decepti sunt, a Deo ipso deceptos esse.

§ 51. Blasphemia vero esset hæc tam horrenda, ut eam etiam hic noster ipse detestari alicubi velle videatur, ubi dixit in 2. operis capite, præcipuam causam, ob quam statuendum est prophetas solidam de Dei revelationibus certitudinem habuisse, in eo consistere, quod non possit Deus sanctos decipere: nam Deus pios & electos nunquam decipit: Hæc ipsius verba sunt (p. 17. c)

At quid manifeſtius, quam ipſum ad hanc blaſphemiam delabi, ſi agnoſcit, permiſiſſe Deum, ut infiniti mortales, ſupra alios omnes probiſſimi, (quales nec ipſe in præfatione libri ſui negare videtur auctor primos Chriſtianos fuiſſe) tam indigne ab ijs ſeducerentur, qui falſam illam Jeſu Chriſti è mortuis reſurrectionem, & piorum item per eundem reſurrectionem ac beatitudinem ſecuturam eſſe prædicarunt, ut ob eam fidem parati fuerint quoſvis, etiam quam maxime horrendos, ſubire cruciatus, quos & ſtultiſſime innumeri ipſorum, Deo ſcilicet gratiſſimi experti ſunt, ipſo Deo interim nullum excitante philoſophum, hujus noſtri ſimilem, qui aut ab errore ejus fidei ac religionis ipſos revocaret, in quem per miracula deducebantur, aut doceret ſaltem, non poſſe eos non ſemper eſſe omnium beatiſſimos, in quocunque ſtatu viverent, licet vel per longiſſima etiam tempora in equuleis torquerentur. At docuit eos, imo etiam per ipſa miracula, ut non crederent, ſe in hac vita beatitudinem ſibi debere promittere. Quis ergo non agnoſcat hic hominis iſtius in Deum blaſphemiam?

§ 52. Jam ad tertiam quæſtionem veniamus, *ubi ſcilicet ex Scriptura oſtendit auctor,* (p.75.*a*) *Dei decreta & mandata, & conſequenter providentiam, nihil eſſe revera, præter naturæ ordinem: hoc eſt* inquit, *quando Scriptura dicit, hoc vel illud à Deo, vel Dei voluntate factum, eam nihil aliud revera intelligere, quam quod illud ipſum ſecundum leges & ordinem naturæ fuerit factum; non autem, ut vulgus opinatur, quod natura tam*

diu

diu cessavit agere, aut quod ejus ordo aliquamdiu interruptus fuit.

§ 53. Provinciam me judice duram suscipit, cum id Scriptura quod ipse hoc ipso in loco fatetur, directe non doceat. Quo modo igitur docebit ipse? *Ex quibusdam Scripturæ historijs*, inquit, *quæ casu prolixius & pluribus circumstantiis narrantur.* Ergo ad summum, inquam ego, in quibusdam tantum historijs ostendet, dici, Deum aliquid facere, etsi id non faciat extra ordinem naturæ: quod facile admittent Theologi, quibus natura est ordinarium Dei instrumentum. Valeat ergo hoc argumentum adversus eos, si qui sunt, qui conservationem naturæ non admittunt providentiæ divinæ partem statui posse: At ipsi convincendum ex Scriptura est, providentiam totam quantam in eo solo consistere: dixit enim providentiam nihil aliud esse revera, præter naturæ ordinem non interrumpendum.

§ 54. Hoc ergo demonstraturus ait (p.75.c.) *In libro* 1. *Samuelis c.9.v.*15.16. *narratur, quod Deus Samueli revelavit, se Saulum ad eum missurum.* Id vero auctori nostro factum dicitur secundum ordinem naturæ, quoniam amissis asinabus, cum redire domum in animo haberet, ex consilio famuli sui Samuelem ipse adijt. Resp. primo, concedi posse, impropriam hic esse locutionem, ut dicatur Deus missurus ad Samuelem eum, quem effecturus erat, ut ad ipsum veniret. Secundo respondeo, si Scriptura hoc pro miraculo narrat, Deum effecisse per oblatas aliquas occasiones, quæ, nisi ipso rem dirigente, oblatæ non

 essent,

essent, vel ut asinæ amitterentur, vel ut consilium hoc famulo in mentem veniret, vel etiam aliud quid intercedere potuisse, unde colligatur, non evinci ex hoc Scripturæ testimonio, rem eam ex ipso ordine causarum naturalium, a principio ad finem usque inter se dependentium, ita evenisse. At ego (quæ sit mihi tertia responsio) in isto Samuelis loco, miraculum in eo potius statui puto, quod Deus id Samueli indicaverit, quam quod Saulum ad eum miserit. Quæ res manifestum est miraculum, nisi probaverit adversarius, per ordinem causarum naturalium fuisse necessarium, ut revelatio ista Samueli eveniret.

§ 55. Addit porro & exempla alia. *Ex Psalmo* 105. *v.*24. *quod Deus Ægyptiorum animos mutasse dicitur, ut odio, haberent Israëlitas, quæ etiam mutatio* inquit *naturalis plane fuit. Et ex capite* 9. *Genes. v.*13. *ubi Deus Noæ se iridem in nube daturum ait*, quasi certo sciat philosophus noster, etsi nihil Noacho dictum esset, eo ipso tamen tempore naturaliter iridem fuisse extituram. Sic & *ex psalmo* 147.*v.*18. item *&* *ex versu* 15. Ubi naturalis, inquit, venti actio & calor, pruinam & nivem liquefaciens, verbum Dei vocatur: sic & dictum & verbum Dei ventus & frigus. *Ventus & ignis*, inquit, *vocantur in Psalmo* 104.*v.*4. *legati & ministri Dei, & alia ad hunc modum plura in Scriptura reperiuntur*. Putaveram ego, ut promiserat, historias tantum proferendas, non inquirẽdas, ut objicerentur nobis undecunque quasvis quantumvis manifeste improprias locutiones. sed antiquum obtinet philosophus: concedendum

dum hoc illi eſt: qui non magis hanc naturæ proprietatem poteſt expellere, utique aſſuetus ex improprijs vocibus, etiam ſi tam planum habeant ſenſum, ut nihil ſupra, miros nectere lectori laqueos, quam motacilla caudæ ſuæ quietem imperare. Quid tamen colligit ex his omnibus *Dei decretum, juſſum, dictum, & verbum nihil aliud eſſe*, (hoc loco debuerat decreti ſane vocabulum omittere, ac dicere, dictum & verbum, nihil aliud eſſe aliquando, ſeu aliquando ſignificare) *quam ipſam naturæ actionem & ordinem.*

§ 56. Sed audi etiam, quam terribilem inopinanti tibi concluſionem illidat. *Quare non dubium eſt, quin omnia*, inquit (p.76. *l.* 1.) *quæ in Scriptura narrantur naturaliter contigerint.* Satis confidenter, quaſi in præcipuis Scripturæ miraculis jam id manifeſtum fecerit, quod, niſi ego fallor, ne in minimo quidem ullo oſtendit: & quaſi quamvis naturæ actionem idem eſſe per ſe appareat, quod naturæ ordinem, eo ſenſu quo ſupra dixit providentiam nihil revera præter naturæ ordinem eſſe; quod & probare debuerat. Fateor quædam, quæ juſſit Deus, naturaliter accidiſſe, aut accidere potuiſſe, id eſt, per cauſas naturales effici: Sed unde probavit adverſarius, non quædam tantum, ſed omnia; & unde probavit, illa ipſa quædam ex ordine & concatenatione illa cauſarum naturalium non interrupta pependiſſe, cui ſoli providentiæ vocabulum voluit adaptare, fortaſſe ut omnem circa particularia providentiam exſibilaret cum validis argumentis evincere deberet, nihil eorum, quæ nos particulari Dei

providentiæ tribuimus, vere ac proprie ex Dei mandato regio unquam pependisse?

§ 57. Nunc audiamus, quonam clariore argumento se demonstrare putet, naturaliter omnia, etiam ea quæ miracula dicuntur, contigisse. *Id confirmatur etiam*, inquit (p. 76. *b. c.*) *ex hoc, quod in miraculis plures circumstantiæ reperiebantur, quamvis tamen non semper narrentur, præcipue cum stilo poëtico canantur, circumstantiæ, inquam, miraculorum clare ostendunt, ipsa causas naturales requirere.* Age proferantur ergo quædam talia circumstantiarum exempla.

§ 58. *Nempe ut Ægyptij scabie infestarentur,* inquit, (p. 76. *c. d.*) *opus fuit, ut Moses savillam in aerem sursum spargeret. Vide Exod. cap. 9. v. 10.* At vero tu homo jam non probas, sed gratis tibi concedi petis, eam sparsionem necessariam, tum & quod præcipuum est, eam subsecutæ scabiei causam fuisse. Et potuit fuisse etiam necessaria quidem, ut Pharao, cum suis, Dei potentiam agnosceret: quales in Evangelijs miraculorum circumstantiæ innumeræ occurrunt: sed tuum est ostendere, eas vim aliquam habuisse ad effectus illos miraculorum producendos; alioqui ridicule petis argumentum à circumstantia, quæ nihil ad rem facit, de qua quæritur.

§ 59. *Locustæ etiam* inquit ibidem, *ex mandato Dei naturali, nempe ex vento orientali, integro die & nocte flante, Ægyptiorum regionem petiverunt, & vento occidentali fortissimo eandem reliquerunt. Vide Exod. cap. 10. vers 14, 19.* At quo jure statuis, mandatum Dei aliquod natu-

naturale hic fuiſſe, quod nullum tibi eſſe poſſe ego capio, niſi in ſolo omnium, aut ſaltem plurimarum, naturalium cauſarum ab invicem dependentium ordine, cum eum ordinem demonſtrare non valeas, quia nemo eum novit, ut ipſe nos doces? Ego contentus ſum Dei mandato regio, quod iſtam molem non requirit. Sed quid ſtupidius tua argumentatione? Ipſi illi verſus, quos è Scriptura citas, diſerte dicunt, Deum ventos illos commoviſſe, & locuſtas per eos tum impuliſſe tum expuliſſe; & tu, ob id ſolum quod fingere audes mandatum Dei naturale, ſine ullo mandato regio, contendis apparere ex neſcio qua circumſtantia, utrumque illud naturaliter, id eſt ſine Dei regio ullo mandato, ex infinitarum cauſarum neceſſaria concatenatione accidiſſe.

§ 60. Eadem ſapientia redicule uteris in exponendo *v.* 21. *cap.* 14. Ubi diſerte dicitur in textu, quod Deus vento Orientali tota nocte vehementer flante mare dimoverit, & ſiccum reddiderit, quo ſcilicet via Iſraëlitis pateret: tu id nos colligere vis per naturalem venti actionem eveniſſe, ex circumſtantia, nempe ex juſſu itidem Dei naturali, quem ibi comparere non oſtendis, & ipſe fateri cogeris te oſtendere non poſſe.

§ 61. Pergo ad id quod (ibidem *d. e*) ſequitur in hæc verba: *Deinde ut Eliſa puerum, qui mortuus credebatur excitaret, aliquoties puero incumbere debuit, donec prius incaluerit, & tandem oculos aperuerit. Vide Reg. l.* 2. *c.* 4. *v.* 34, 35. Si hic ſerio voluiſſet agere accuratum diſputatorem, meminiſſe debuerat etiam illius alterius

mortui, qui ex attactu ossium Elisæi revixisse dicitur 2.Reg.13.v.21. Sed eum credo etiam aut mortuum tantum visum fuisse, aut à sacrilegis hominibus eam fabulam sacris litteris insertam fuisse diceret.

§ 62. Sed quantumvis illud pueri exemplum suspicionem aliquam à Christi professione alienis quibusdam (nam Christianis, puto, eam adimit auctor ad Hebr.cap.11.vers 35.) admittere posse videretur naturalis tantum virtutis, qua restitutus esset, nullo tamen modo autorem tam impudentem reddere debebat, nisi depuduisset totus, ut ista verba subjiceret: *Sic etiam in Evangelio Johannis cap.9. quædam narrantur circumstantiæ, quibus Christus usus est ad sanandum cæcum* (p.76.e.) quasi, non sine joco, videri velit simulare saltem, quod suspicetur, lutum illud sputo commixtum vim habere potuisse ad ei qui à nativitate cœcus erat, quam primum se modo aqua abluisset, visum restituendi. Quod non alio spectare potest, nisi ad omnes Novi Testamenti historias miraculosas palam subsannandas, cum hoc factum Christi comparat Elisæo puerum, qui non fuerat mortuus, nisi juxta falsam quorundam opinionem, excitanti.

§ 63. Quare & in progessu orationis, post interposita ingeniose quædam alia, ad quæ videri potest imprudentioribus seriatim deductus, manifeste satis eas falsi insimulat, (p.77.c.) per hæc verba. *Cum itaque Scriptura narrat, terram propter hominum peccata sterilem esse* (hoc omittamus) *aut quod cæci ex fide sanabantur,*

hoc

hoc attendamus & ijſdem adjungamus omnes alios, qui fide ſanationes conſecuti ſunt, qui in Evangelicis hiſtorijs fere utramque faciunt paginam) *ea non magis movere nos debent*, inquit, *quam cum narrat* &c. *perplurima quæ vel poëtice dicta ſunt, vel ſecundum ſcriptoris opiniones & præjudicia relata.* Judicet, quivis, an hoc aliud ſit, quam ipſam hiſtoriarum illarum omnium veritatem negare. Ego huic hominis impudentiæ oppono plurimos tractatus, qui & olim, & noſtra etiam memoria de religionis, imprimis Chriſtianæ veritate, quam momus hic nuſquam non per totum librum ſuum impugnat, tam perſpicue & ſolide conſcripti ſunt, ut omnia quæ protulit nobis hactenus argumenta, ad eorum lucem ſi examinentur, ſponte ſua diſparitura ſint.

§ 64. Is vero ſibi plaudit, & in hæc verba orationis hanc tertiam partem concludit (p. 77. *d*) *Quare hic abſolute concludimus, omnia, quæ in Scriptura vere narrantur contigiſſe, ea ſecundum leges naturæ ut omnia neceſſario contigiſſe, & ſi quid reperiatur quod apodictice demonſtrari poteſt, legibus naturæ repugnare, aut ex ijs conſequi non potuiſſe, plane credendum id à ſacrilegis hominibus Sacris litteris adjectum fuiſſe.* Quis tantæ hujus impietatis extremam impudentiam deteſtari non cogitur, quoad proferat novus magiſter argumentum meridiana luce clarius, unde conſtet, Deum ne hilum quidem extra ordinarias naturæ leges poſſe. Si enim vel hilum poteſt, liquet, in hoc uno verbo, ut dixi, ſummam

impietatem cum summa impudentia conjungi.

§ 65. Qui probat igitur quod dicit? Brevi verbo, & admodum facile. *Quicquid enim*, inquit, *contra naturam est, id contra rationem est, & quod contra rationem, id absurdum est, ac proinde etiam refutandum.* Resp. Nego ijs contra rationem esse, qui Deum statuunt supra naturam, aut naturæ moderatorem ex libero arbitrio, etsi absurdum sit illis, qui ipsum statuunt, nullam habere potentiam, nisi ipsam potentiam naturæ, quæ ejus ipsissima sit essentia, itemque ipsum quicquid agit ex necessitate naturæ suæ agere, seu, ut ipsius utar verbis auctoris, *operationes naturæ ex ipsa Dei essentia consequi* (pag. 71. *e.*) quo verbo indicat, sibi non minus mundum esse æternum, quam est ipsa Dei essentia. Talia ubi nobis persuaserit, facile item evincet, Christi religionem parvi esse faciendam.

§ 66. Posthæc pergit ad quartum punctum miraculorum scilicet interpretationem recte instituendam: quæ, cum nulla unquam facta esse velit extra naturæ limites, non mirum est, eum statuere, quod aliqua, ut secundum erroneas vel vulgi, vel scriptorum ipsorum, opiniones relata tanquam falsa, velit repudiari (p. 78. *e.*) alia pro repræsentationibus tantum (p. 78. *f.* 79. *a.*) quales his aut illis oblatæ sunt, haberi: (sed oblivíscitur, cum tota sua Schola in æternum se non probaturum, eas apparitiones, quas in anterioribus capitibus simulavit se pro veris agnoscere, ex naturæ legibus evenisse. Sunt ergo hæ quoque

que vel invito ipſo vera miracula,) tum denique in omnibus accurate vult obſervari (p.79.80.) phraſes & tropos Hebraicos, ne improprie dicta, quaſi proprijs verbis expreſſa ſint, temere arripiamus.

§. 67. Et in hac quoque parte, ut in præcedentibus, in quibus nullo argumento probavit uſquam, ſuam ſententiam veriorem eſſe, quam vulgi, ſtatuentis dominium habere Deum in ipſam quoque naturam, aliquoties malignum prodit animum, nuſquam ſincerum ſtudium ad Scripturæ ſenſum in meliorem partem interpretandum. Quale illud eſt, quod (p.78. *e*) aſſerit *longe aliter Joſuæ tempore illud eventum de ſolſtitio, quam contingere potuit, conceptum & narratum fuiſſe*, cum tamen illo tempore quo locutus eſt Joſua iſta verba Joſ. c.10. v.12. Subſiſte ſol in Gibeon, & Luna in Ajalon, ita concipi & narrari debuerint ut ſubſtitiſſe narrantur: quamvis non eo modo ſubſtiterint, quem hic oblocutor contendit per ipſa verba exprimendum fuiſſe: Sat eſt ita ſubſtitiſſe, ut lucem tamdiu, quam narrat hiſtoria, in Gibeon & in Ajalon præberent. Hoc quis non agnoſcit ſufficere, ad ſtatuendam ſine mendacio Solis & Lunæ ſtationem aliquam? Quid enim ad illos ſpectabat prævidere, quomodo poſt aliquot ſua ſæcula naturæ arcana, de quibus ibi non agebatur, & de quibus adhuc ſub judice lis eſt, penitius intelligenda eſſent? Maligne ergo carpit iſta.

§ 68. Sic etiam, *ex eo quod Elias ad cælum igneo curru & igneis equis aſcenderit* (p.79.*a.b.*) quam

quam ait meram fuisse tantum repræsentationem, perquam malitiose in eundem censum trahit Jesu Christi ascensionem, his verbis, etsi nescio sub qua dissimulationis specie, quam facillime quivis deprehendat, non seriam esse; *quæ sane omnia* inquit *non nisi repræsentationes fuerunt, adaptatæ opinionibus eorum, qui eas nobis, ut ijs repræsentatæ sunt, nempe ut res actuales, tradiderunt. Omnes enim qui aliquantulum supra vulgus sapiunt, sciunt.* (Nota verbum quod sequitur, quod non alio, quam ad ascensionis Christi veritatem convellendam, spectare potest, per quam ab omnibus Christianis creditur adeptus promissam sibi à patre exaltationem) *Deum non habere dextram neque sinistram, neque moveri, neque quiescere, neque in loco, sed absolute infinitum esse.*

§ 69. Unde & mox simul eos perstringit, *qui solium ipsi supra stellas in cæli convexitate affingunt.* Verisimile est, & hoc non alio pertinere, quam ad irridendos, cum ipso Christo, Christianos omnes, qui ex ejus mandato Deum ut patrem, qui in cœlis est, invocant; quasi non possent talia dicta ullum admittere sanum ac verum sensum.

§ 70. Ex eodem malitiæ fonte manasse videtur ibidem etiam hoc, quod cum D. Paulus Rom 9. diserte dicat, misereri Deum cujus vult, & quem vult indurare, hic oblocutor pro auctoritate pronunciet (p. 80.e.) *cum dicitur Deus cor Pharaonis indurasse, nihil aliud significari, quam quod Pharao fuit contumax*; quasi nempe nihil

aliud

aliud ibi cogitare liceat, quam phrasin Judæis usitatam, quibus in more sit, ut alibi dixit, omissis causis secundis, omnia ad Deum, ut causam primam, referre. At si licet ipsi huic philosopho omnia omnino, sine ulla exceptione, Deo tribuere, quicquid enim fit id ex sola vi decreti divini fieri tum paulo ante tum & alibi professus est, liceat sanè scripturæ divinæ amanuensibus, Deo tribuere etiam justa, etsi nonnunquam occulta, quæ in homines exercet, judicia.

§ 71. Hactenus, quid habuerit in hoc sexto capite propositum, & quibus id rationibus, ut gloriatur, demonstraverit audivimus: audienda porro est etiam conclusio, in qua mentem suam paulo benignius videtur velle explicare. Sic enim scribit (p. 82. c.) *Quamvis dicam Scripturam hæc docere, non tamen intelligo, hæc ab eadem doceri, tanquam documenta ad salutem necessaria, sed tantum, quod prophetæ hæc eadem uti nos amplexi sunt: quare de his unicuique prout sibi melius esse sentiet, ad Dei cultum & religionem integro animo suscipiendum, liberum est existimare.* Scilicet, nihil referre, an vera sint Theologiæ axiomata, an falsa: regnum veritatis Philosophiam esse, religionis vero, id est, devotionis erga Deum Theologiam, cui cum veritate nihil admodum sit commune, quod alibi diserte profitetur: cum sentiant alii contra, doctrinam veritatis solam esse eam, quæ nos vere liberos reddat: cujus si tã multæ tamque insignes partes, quæ perspicue in Evangelii historia tanquam fundamenta fidei commemorantur, pro falsis habendæ sunt; quis monstrabit ullum solidum

dum ve : religionis fundamentum ? Restat nihil aliud, quam ut tota ipsa tollatur.

§ 72. Vidit Philosophus, sententiam hanc suam tam paradoxam fore, ut omnibus facile displiceret, nisi aliquid ei saltem coloris induceret. Quare, ut minuat invidiam, in extremo fine capitis ad Flavium Josephum provocat, secum nempe sentientem, unum fortasse ex omnibus mortalibus. Is enim in conclusione lib. 2. Antiq. de transitu Israëlitarum per mare juncosum, & simili fere quodam alio transitu militum Alexandri Magni per mare Pamphylium, locutus, postquam significasset, ea miracula considerari sic posse, ut evenerint aquis vel Dei jussu vel sponte sua cedentibus, hæc subjicit, *De his itaque sicut placuerit cuilibet, existimet.* Quibus applaudens noster boni ominis causa acclamat. *Hæc sunt verba Josephi, ejusque de fide miraculorum judicium.* Ego fraudem subesse puto, in eo quod quæ Josephus non dicit, nisi de transitu Israëlitarum per rubrum mare, collato cum alio quodam non plane dissimili transitu Macedonum per mare Pamphylium, ad omnia miracula extendit Philosophus, etiam ad illa de quibus nulla plane unquam suspicio cuiquam, qui historiæ modo veritatem admisit, potuit suboriri, quod naturaliter evenerint. Altera fraus accedit, quod Josephum videri vult indicare, ad Dei cultum recte tenendum utramvis de transitu Israëlitarum sententiam perinde esse utilem. Quod quidem si sensit ille, etsi non est credibile, absit, ut ipsius, qui nihil minus cordi habuisse videtur,

quam

quam Deo ex animo adhærere, ſententiam approbemus: quæ procul omni dubio eſt impia, ſi cum hoc diſputatore voluit, eam ſententiarum diverſitatem etiam inter illos fuiſſe, qui ex animo libros Moſis pro divinis ſe profitebantur habere.

§ 73. Subleſtæ fidei apud me eſt ille auctor, non eo tantum quod & à Veteris & Novi Teſtamenti narrationibus aliquoties palam diſſentit, & tam audacter aſſerit, apud omnes Alexandri Magni hiſtoricos legi, quod apud nullos extat, ſed & eo quod ſummus fuit adulator, quem non puduit, quæ de Meſſia prædicta ab Judæis exſpectabantur, ad Titum Veſpaſianum, cujus favorem per adulationem captabat, detorquere. Quis pius id auſus fuiſſet? & quid Veri ab adulatore exſpectes, niſi in ijs fortaſſe, quæ nec ipſi, nec ipſius amicis obeſſe, ſed prodeſſe tantum queant? Adde quod, cum hiſtorias ſui temporis ſcripſerit, peſſimo ſtudio, peſſimaque fide Chriſti, & Apoſtolorum, & Chriſtianorum omnium, qui illo tempore innumerabiles erant, mentionem prætericrit. Nam præter unicum illum locum ſuppoſititium, qui Dominum noſtrum Jeſum ſupra mortales omnes extollit, nihil uſquam memorat de re omnibus ſui temporis hominibus nota. Chriſtianos, inquam, ne nominat quidem; tantum abeſt ut vel ipſorum ſectæ ſubſcribat, vel ſi ſubſcribere vere non poterat, eos tanquam ſeductores, ſeductoſque, ac Reip. turbatores ſaltem damnet. Concedant igitur qui fidem ejus magnis admodum laudibus efferunt, aut fingi,

quod

quod ipsius temporibus Christiani aliqui extiterint, (adversus Romanæ etiam historiæ scriptores, ipsi Josepho coævos, Tacitum, inquam, & Suetonium, qui eos sub Nerone flammatos & toti mundo invisos commemorant) aut si id concedere nolunt, quia manifeste falsum est, doceant fieri potuisse, ut verus & sincerus nec malitiosus sui temporis historiæ scriptor, tam memorabilia, atque omnibus nota ignoraverit.

§ 74. Puto ex ijs, quæ ad hoc caput sextum deMiraculis à me prolata sunt,apparere,hoc præcipuum esse axioma, quo nititur adversarius, quod legitur (pag.72. *lin. pen.*) *Si quid in natura fieret, quod ex ipsius legibus non sequeretur, quod id necessario ordini, quem Deus in æternum per leges naturæ universales in natura statuit, repugnaret,* (cui sententiæ adversantes ut orationis quadam larva perterrefaciat, audi quam tragice, etsi breviter declamet, cum (p.73.*a.*) mox addit hæc verba) *adeoque id contra naturam, ejusque leges esset, ejusque fides nos de omnibus dubitare faceret, & ad Atheismum duceret.* Nescio equidem, an hic quantumvis personatus, cum ista scriberet, risum potuerit cohibere, si vere sentit utramvis sententiam ad Dei cultum & religionem integro animo suscipiendam perinde utilem esse?

§ 75. Sed hoc transeat: attendat modo Lector, an novus Magister, quamvis per totum hoc caput sextum videri voluit uno tantum uti argumento, quod intellectus & voluntas in Deo per omnia conveniant, eo omisso non solo usus sit

illo

illo ſecundo, quod naturæ potentia ſit ipſa divina potentia, ac proinde ipſiſſima eſſentia Dei: ſupra quam naturæ potentiam, non mirandum eſt eorum cogitationes aſcendere non poſſe, qui ſolis niti volunt principiis ac notionibus naturâ notis, atque ex ijs ſolis de rebus omnibus judicare; etiam ijs ad quas principia illa ſine divina revelatione nos perducere non poſſunt. Noſtrum eſt hic meminiſſe Apoſtolicam admonitionem Coloſſ. 2. v. 8. Videte ne quis ſit, qui vos philoſophia fallaciaque vana prædetur ex hominum inſtitutione ac mundi rudimentis, non ex Chriſto, in ipſo enim habitat tota Deitatis plenitudo corporaliter.

§ 76. Hoc de adverſarij argumentationibus monendum hic duxi: de meis aperte dicam, præcipuum quo nitor axioma hoc eſſe, Deum, ut ut naturæ leges univerſales præſcripſerit, ejus tamen ſibi moderamen ſervare, &, ut de jure illo ſuo hominibus conſtaret, in naturæ quibuſdam partibus ſpecimina quædam potuiſſe oſtendere, ac voluiſſe aliquando, ut docent nos ſacræ litteræ, ob graves admodum cauſas, quas humani generis ſcire intereſt; verbi gratia ad Iſraelis olim rempublicam conſtituendam, ex qua ſuo tempore proditurus eſſet Meſſias, qui quidem talis agnoſci non potuit, ut doctrina ejus pro divina reciperetur, niſi miraculis, quæ non modo vulgi captum, ſed & ipſius naturæ ordinarios limites excedunt, commendatus fuiſſet.

§ 77. Quod ego ſtatuo, novus hic doctor vult omnium abſurdorum eſſe abſurdiſſimum; quia

quia nempe nullam Deo, ac ne minimam quidem, quantum usquam videre possum tribuit libertatem, etsi de ejus decretis subinde aliquid nugetur, in circulum disputans: nam decreta Dei sunt huic viro *ipsa leges natura, ejusque ordo*, ut diserte repetit (p: 82.*a*:) in quibus mera dominatur necessitas. Ego nihil absurdi dico statui, etsi vel totam, dicatur Deus naturam posse abolere, nedum si aliquando in ejus nonnullis particulis aliquid extraordinarium evenire voluit.

§ 78. Hic ergo status est nobis: in cujus tractatione ita ego processi. Scio philosophicis rationibus demonstrari non posse, quod miracula talia unquam fieri potuerint, cum ipsa supponantur extra naturæ potentiam, seu consuetum naturæ ordinem fuisse. Nihil igitur superest, ut per se appareat vi divina ea fieri potuisse, nisi ut testimoniis eorum qui fide digni sunt, facta esse ostendantur: consistunt enim omnia in rebus singularibus, quæ ad historias solas pertinent, & quarum philosophica nulla scientia a priori datur. Quocirca cum plura ac certiora testimonia peti non possint, quam ea quæ nobis & sacræ litteræ, item & alia quædam veterum scripta suppeditant, puto me veritatem amantibus satisfecisse: & ridiculum ostendisse adversarium, qui cum incipere eum oporteret ab iis, quæ sunt evidentissima, ut per ea lectorem ad ejus, quod obscurius est, cognitionem sincere deduceret, eo primario argumento uti se dicit, quod intellectus & voluntas in Deo non distinguantur. Quod mihi quidem, & aliis item, credo, multis non modo

per-

perobſcurum videbitur (ab obſcuris autem non peti debent argumenta) ſed & abſurdum omnino & falſum eſſe. Qui poteſt enim fieri ut intellectus & voluntatis actiones vere eædem eſſe dicantur, quæ, natura ipſa duce, ut diverſæ concipiuntur ab omnibus hominibus, præter eos ſolos, qui propoſitum habent theſes modo ſuas contrarias quacunque ratione tueri?

§ 79. At hi philoſophi ſibi videntur ſpiritualem Dei naturam, etſi neſcio an propriæ animæ ſuæ eſſentiam perſpectam habeant, multo accuratius intus & in cute noviſſe, quam corporis ullius naturam, vel per ſummum ocium quiſquam anatomicus unquam perſcrutari potuit. Quod ipſis perquam facile fuit, niſi falluntur, quia Dei eſſentia ſimplex eſt: ergo ſi quicquam de eo vel minimum noverunt, noverunt omnia: & ex uno (v.g. ex intellectu, quanquam dubito, an vel intellectum proprie dictum Deo, qui ipſa naturæ potentia eſt tribuant) licet ipſis colligere quicquid volunt. Fateor ſunt & Theologi quidam in eadem hac, in qua ipſe eſt, ſententia, intellectum Dei ab ejus voluntate non diverſum eſſe (quanquam ego eos optarem ex Dei potius ſcriptura, quam ex inani philoſophia, ſapere; & nec ſcio, nec curo ſcire quomodo ipſi eam ſententiam accipi, & quouſque extendi velint.) Sed certum eſt tamen, ab his quoque omnibus novi philoſophi iſtam conſequentiam exſibilari, ac nullis ipſorum, quod ſciri poſſit, de miraculorum veritate tollenda, ob eam theſin ullam unquam cogitationem incidiſſe.

§ 86.

§ 80. Inane ergo eſt primum argumentum, nec minus etiam alterum, ut jam vidimus adverſarii ipſius judicio nunc potius omittendum, quod ſcilicet potentia naturæ ſit ipſa divina potentia & virtus, divina autem potentia ſit ipſiſſima Dei eſſentia. De quo tantum hæc duo jam dicam: primum quod conſiſtat in ſpeculatione nimis ſubtili, tali nempe quæ ipſa ſua ſubtilitate evaneſcat. Quis enim capiat, eum qui ipſe dicit, quod Deus (pag. 73. *l.* 1.) ordinem per leges naturæ univerſales in natura ſtatuat, & (p. 74. *b.*) quod Deus naturam dirigat, ullo ſano ſenſu aſſerere poſſe, quod potentia naturæ, in qua ordo a Deo ſtatuitur, & quæ ab ipſo dirigitur, ſit ipſiſſima Dei ſtatuentis & dirigentis eſſentia? Quis non videt ergo Sophiſtam verba dare lectori ſuo, cum ei obtrudit ex argumento iſto facile confici quod nullum unquam miraculum evenerit?

§ 81. Fatendum tamen eſt ipſum recte ita colligere, ſi Dei eſſentia nihil eſt aliud, quam ipſa naturæ potentia, nihil unquam tale quid eſſe factum: eſſet enim a Deo factum præter, aut ſupra, aut contra naturam ipſius Dei. Id ego concedo, quia liquido verum eſt. Concedat mihi viciſſim ille, quod itidem non minus liquido verum eſt; ſi vere unquam contigit ullum proprie dictum miraculum, vel minimum, quod naturæ vires exceſſit, (qualia infinita Johannes Evangeliſta facta ſcribit a Chriſto, in extrema Evangelii ſui clauſula; ut & B. Lucas in Actis Apoſtolorum, ab iis qui Dei ſpiritu donati fuerunt:) evidentiſſime falſum eſſe, quod naturæ potentia ſit ipſa eſſentia

Dei

Dei, ſed neceſſario verum eſſe, ut alius ſit Deus extra iſtam naturæ potentiam, & neceſſario falſa eſſe plurima eorum, quæ per totum ejus librum auctor perſuadere intendit; falſum quoque totum, quem ſibi in eo ſcribendo propoſitum habuit, ſcopum. De quo verbo meo judicent quicunque eum vel cum minima attentione perlegerunt.

§ 82. Miracula vero talia, an fieri unquam potuerint an non, inſanum eſt nos inveſtigare velle per naturalia, quæ nobis venditant hi recentiores, argumenta, neglectis hiſtoriis omnium antiquorum, qui ſi falſa fuerant, & facillime & cum ingenti totius fere mundi applauſu, ea refellere non modo potuiſſent ac debuiſſent, ſed & infiniti voluiſſent. Stultiſſimum autem nos talibus, qualia hactenus protulit Theologo-politicus, moveri, ut credamus potius omnes Apoſtolos, Evangeliſtas, Martyres & alios ſanctos primitivæ Eccleſiæ Doctores, aut fungos fuiſſe, aut nebulones inſignes in aſſerendis miraculis, quam ut putemus hujus philoſophi rationes pro demonſtrationibus admitti non poſſe, quamvis tam infirmas eas eſſe judicemus, ut vix admitti poſſit, vel ipſum vel quenquam alium iis ſerio aſſenſurum, niſi cui jam ante ſit conſtitutum, Dei præceptis nolle auſcultare. Si ſerio Dei colendi affectu ab eo ipſius ſalutarem cognitionem petiiſſet unquam, facile rationibus illis renunciaſſet. Sed ſat habuit philoſophice tantum inquirere, imo concedere, quod aliquis Deus eſſet; qualis autem eſſet porro inquirere non ſecundum naturalis luminis

æquitatem, ſed ſecundum imaginariæ demonſtrationis ex ſolis principiis naturalibus evidentiam, quæ ſupra naturam aſcendere non poteſt. Hoc primum erat quod annotare volebam.

§ 83. Alterum eſt, videri non injuria poſſe alicui, auctorem hunc eo ipſo, quod ſtatuit, naturæ potentiam ac virtutem eſſe ipſiſſimam Dei eſſentiam, non obſcure indicare, quod ea natura ipſo Deo prior ſit: Si ipſe enim eſt potentia naturæ, cur non videatur natura prior ipſo? Aliis videbitur Deum nihil niſi merum figmentum facere. Sicut enim figmentum merum eſt, ſtatuere aliquod ens ſingulare, quod ſit univerſalis natura, id eſt, hominis, equi, arboris, fluvii & omnium denique rerum, cum natura nulla alia exiſtere poſſit quam in ipſis ſingularibus, jure etiam figmentum eſt ſingulare ens aliquod, puta Deus Theologico-politicus, qui ſit naturæ eorum omnium, quæ extra ipſum ſunt univerſalis illa potentia. Univerſalia quatenus univerſalia nulla ſunt niſi in ſola cogitantis mente: extra eam ergo nihil ſunt: quod nec negat puto hic philoſophus (pag. 175.e.) cum ſcribit *univerſalis potentia totius naturæ nihil eſt præter potentiam omnium individuorum ſimul.* Quid ergo Deus qui ipſiſſima eſt naturæ potentia? In ſingulis rebus creatis, imo ut ad philoſophi noſtri mentem loquar in ſingulis rebus exiſtentibus, eſt id quod ipſæ ſunt; in ſole ſol, in luna luna, &c. in Igne, aqua, aere, terra, ipſe ignis, aqua, aer, terra, nullum nec intellectum nec voluntatem habens; at ſi extra

ea

ea consideretur nihil est: Huc tendit istius Magistri philosophia; nisi quis tamen excipiat, eum ibi (p. 175. *e.*) nihil dicere aliud, quam id ex quo sequitur, Deum qui totalis universi natura est, omnes singulares naturas, tanquam sui partes complecti. Sed quis intelligat vel hoc etiam ipsius principiis consentaneum esse? Denique mira philosophiæ novæ dogmata, certe longe minus, si bene attendantur, credibilia, quam ipsa miracula quantacunque proponi aut fingi possint.

§ 84. Est quod Deo gratias agamus, ejus miraculosa opera negari non posse, nisi ab iis qui ad tam pudenda ac detestanda figmenta delabuntur: quorum insania ex eo potest omnibus, qui sanctam ullam de Deo cogitationem habent, palescere, quod non modo negant, homines ex natura jure divino teneri (pag. 184. *e.*) Sed & religionem in eo sitam esse volunt, ut quidvis, qualecunque id sit, pro justo atque injusto, pio atque impio habeatur, quod iis lubet, qui summam in quaque terrarium regione seu jure seu injuria potestatem obtinent: adeo ut; illis serio quidvis mandantibus, quævis etiam summa scelera in summas virtutes, & in summa, horresco referre, ergo Deum quoque ipsum pietatis officia mutentur: Propterea quod Deus jure suo, quod in singulos homines habebat, eo in terrarum principes ac tyrannos translato, se plane abdica-

§ 85. Videant politici quam ſapiens & probus ſe ipſis offerat doctor, à quo diſcant Theologicam reipublicæ adminiſtrationem. In præfatione (pag.** *verſa.*) ſic is loquitur, ac ſi ſerio optet, ut vulgus hunc ſuum librum potius negligat, quam legat: ſolis enim ſcribere philoſophis putandus eſt, quo ſcilicet reſpublica his ſolis ad ejus gubernacula accedentibus beata fiat. At ſi vere hæc ei mens erat, non oportebat eum tale ſcriptum in vulgus edere, certe non eo titulo quo nullus alius magis invitare omnes etiam plebeios ad legendum poſſit. Pauciſſimos enim eſſe extra dubium ipſe novit, qui non putent ſe de Theologia ac Politia aliquid ſaltem intelligere. Quicunque inter Theologos tales ſunt, iis neceſſitatem ſui ſcripti examinandi imponit, non eo tantum quod aliquando eos oporteat etiam Magiſtratus de officio ipſorum monere; ſed & quod paſſim provocet auctor ad Hebraicos textus, quos vix alii præter ipſos recte intelligere poſſe videntur. Qui autem rerum-publicarum gubernacula tenent, an non etiam magis videntur ab ipſo ad hoc idem omnes conſtringi, quamvis non magni ſint philoſophi, ne fortaſſe aliter ſuo munere fungantur, quam Theologia præſcribit? Simulator ergo eſt hac in re. Sed & in altera, quam ibidem ſubiicit, cum Lectorem monet, ſe nihil ſcribere, quod non libentiſſime examini, & judicio ſummatum poteſtatum Patriæ ſuæ ſubiiciat; *nam ſi quid horum*, inquit, *quæ dico, indicabunt patriis legibus repugnare, vel communi ſaluti obeſſe, id ego indictum volo.* Hæc dicant illi, de quibus confidere

dere poſſunt ſuperiores, quod revocaturi libenter ſint, ſi quid tale in ipſorum ſcriptis inveniatur; non illi, qui ut ipſis illudant, quibus ſciunt ſummo jure in ſcriptis ſuis plurima diſplicere non modo anonymi prodeunt, ut non poſſint agnoſci, ſed & fingunt in extera regione ſua ſcripta excuſa eſſe, ut appareat eos patriam nullam velle agnoſcere, & omnes homines habere ludibrio. Interim ſi Amſtelodamenſem ſe ferre velit hic Scriptor, quod nonnullis locis ſubindicat; & imprimis illo quo per ſpeciem laudationis, palpabili mendacio, eos traducit quaſi licentiæ blaſphemandi, quam palam ipſe affectat, fautores, ſane malus eſt civis, & ingratus; cui oſtendam ego brevi verbo, ſcriptum ipſius totum communi ſaluti obeſſe. Nam cum fundamentum, quo tota nititur reipublicæ noſtræ adminiſtratio, ſitum ſit in juramenti religione, ſole clarius eſt, eum qui ſtatuit, ex decretis Dei non minus perjuria, quam quaſvis alias hominum actiones neceſſario profluere, ipſumque hominum peccatis non iraſci, aut moveri, ut ea punire velit, reipublicæ totius noſtræ fundamentum convellere.

EPILOGUS.

§ 86. Hæc ſunt, dilecte in Chriſto frater & amice integerrime, quæ pro refutatione illius pernicioſi ſcripti, judicavi noſtræ Remonſtrantium

insistamus, laquei isti non magno negocio possint disrumpi. Si qui erunt inter Reformatos aut etiam Romano-catholicos, qui meliora desiderent, quæ cum suis confessionibus magis conveniant, exoptatissimum mihi erit, ut ipsi aggrediantur aliquid scribere, quod sit rectius & ad suos, & ad omnes item alios contra Atheismum istum muniendos potentius & clarius.

§ 87. Tibi interim ego, dilecte Frater, confido me satis hic ostendisse, quid de libro isto sentiendum sit; montes parturiisse, ac ridiculum prodijsse murem; tum si qui sunt, qui ipsum cum attentione lectum approbant, judicio eos parum admodum valere; sin autem rudioribus etiam eum commendent, homines esse in reprobum sensum datos. Nam si vel minimam conscientiæ rationem ducerent, hortari imperitos debebant, ut operam suam in aliis potius scriptis evolvendis ponerent, unde aliquid haurirent solidæ atque ad vitam utilis eruditionis, quam in hoc, cujus sensum, certo certius est, plurimis in locis, etiam post longam meditationem, eos vix satis percepturos. Procul omni dubio consultius est ab iis, quæ nocere posse videantur, tantisper sane abstinere, quoad confidere liceat, sic eos omnia posse intelligere ut & recte queant judicare. Hoc specimen interim habeant rudiores pro antidoto. Cætera quæ passim, vel ex ignorantia, vel ex malitia, adversus Christianam Religionem auctor profundit (iis quidem locis, quibus mentem hominis

mihi

mihi ſatis percepiſſe videor, in quibus plurima oſtendi poſſunt à veritate aliena, plurima etiam, quæ etſi concederentur, irrita) ea, inquam, ad refutandum non tam difficilia, quam ut operoſa, ſic & non neceſſaria ac ſupervacanea hactenus judicavi. Vale amice integerrime: Rogo ut in precibus tuis etiam mei ſis memor. Dabam ex muſæo meo Hagæ anno ſalutis M DC LXXII. Januarij 23.

Tuus ex animo

JAC. BATALERIUS.

